



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Dispvatio III. De Materia prima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

primum consequens, & nego secundam consequentiam. Et hoc eodem modo respondendum est ad confirmationem distinguendo maiorem, & consequens eius: tanquam ex termino à quo, nego; tanquam ex parte componente, concedo.

16. *Obijciat tertio*, Generatio dependet essentialiter à Deo, & à causa efficiente, & finali, & ab actione, & à forma etiam præexistente in materia, & à priuatione formæ præexistentis, & ab vnione; ut enim sit generatio, omnia hæc intercedere debent: ergo plura sunt principia generationis.

Respondeo non dependere ex his, tanquam ex principiis, ex quibus fit, nam non dicitur fieri ex Deo aut ex causa efficiente, sed potius à Deo, & à causa efficiente; nec dicitur fieri ex fine, actione, aut ex vnione, sed propter finem, & per actionem, & vnionem, seu mediante actione, & vnione (adde vnionem esse realiter ipsammet generationem, ut alias videbimus, & propterea non posse generationem esse ex vnione, cum idem non fiat ex seipso.) Quantum autem ad formam substantialem præexistentem, & ad priuationem eius, quæ ponitur per generationem,

Respondeo esse per accidens ad generationem, quod præcesserit talis forma, aut quod ponatur de nouo priuatio eius: nam si per impossibile vel possibile, non præesset aliqua alia forma in materia, sed poneretur in ea forma noua, cuius habuit ante priuationem, saluaretur essentialis ratio generationis, quæ etiam saluaretur, quamuis non tolleretur forma præexistens, modò poneretur cum ea simul alia forma; unde manifestum est quod generatio non fiat nisi per accidens ex forma præexistente, & multo minus sit ex priuatione eius, tanquam ex termino à quo, quandoquidem priuatio formæ præexistentis maneat cum forma producta, quod est contra rationem termini à quo.

An eorum
niant vnio-
ue in
ratione
principij
tria prin-
cipia.

17. *Querens*, an hæc tria principia conueniant vnioce in ratione principij, seu an detur ratio aliqua principij ut sic, quæ sit communis vnioce his tribus principiis.

Fuentes hic q. 3. art. 3. negat hæc principia conuenire in aliqua ratione vnioce, sed asserit ea conuenire in aliqua vna ratione, quæ vnioce de ipsis prædicetur. *Mastrius disp. 1. q. 1.* absolute asserit dari his principiis aliquam rationem communem vnioce, quæ etiam explicatur in prædicta definitione principiorum assignata à Philosopho.

Communior sententia negat hæc principia conuenire vnioce ratione vlla principij ut sic, sed solum analogice, & hæc sententia mihi magis placet, & probatur, quia ex his principiis vnum est non ens, nempe priuatio, & aliud est ens reale, nempe materia: sed non datur aliquis conceptus vnioce aut vnioce communis enti reali, & non enti reali: ergo hæc principia non conueniunt inter se in aliqua ratione vnioce principij ut sic, aut etiã vnioce de ipsis prædicabili. Probatur minor, quia aut illa ratio esset ens, & tum sequeretur quod non ens esset ens: aut esset non ens, & tum sequeretur quod ens esset non ens; quod est absurdum: nec huius rationis ita propositæ vim tollit *Mastrius* supra, ut legenti patet.

18. *Confirmatur*, quia non potest concipi aut assignari aliqua vna ratio, quæ ipsis competat vnioce, aut quæ sit ipsis vnioce: ergo non est asserenda talis ratio.

Confirmatur secundo, quia in quacumque ratione assignabili debet poni ly *aliquid*, aut æquiualens: sed ly *aliquid*, ut dicitur de ente, & non ente, non significat aliquam vniam rationem: ergo non est assignabilis aliqua vna ratio principij, quæ de his principiis prædicari possit vnioce, aut tanquam vnioce prædicatum. Quod si etiam daretur ipsis aliqua ratio communis, probatur contra *Mastrium*, quod illa ratio non exprimitur in definitione principiorum, quia in illa expresse ponuntur duæ rationes diuersæ principiorum, nimirum ratio termini & partis intrinsecæ, quæ duæ rationes non dicuntur de quolibet principio nisi diuinctiue, sic scilicet ut verum sit quod quodlibet principij sit, aut terminus à quo, aut pars intrinseca corporis principij: ergo non exprimitur

aliqua vna ratio determinata principij ut sic in illa definitione.

19. *Dices* pro *Fuente*, hæc omnia bene probare, quod non detur his tribus principiis aliqua ratio vnioce, aut aliquod prædicatum vnioce commune, nõ vero probare quin detur illis aliqua ratio vnioce prædicabilis.

Contra, quia licet secundum *Scotum* 1. disp. 8. q. 3. n. 14. ab ipso *Fuente* citatum, non omne prædicatum vnioce vnioce prædicetur in rigore logico, quia album respectu huius, & illius parietis albi est prædicatum vnioce, sed tamen non vnioce prædicatur, quandoquidem non sit de essentia ipsorum, quod requiritur in rigore logico secundum *Scotum*, ut aliquid vnioce prædicetur, tamen nullum prædicatum vnioce prædicatur, quod non sit prædicatum vnioce, quia ut vnioce prædicetur, debet esse ratio vna competens pluribus, & hoc sufficit, ut dicatur prædicatum vnioce, quamuis non sufficiat ut diceretur vnioce, nisi ulterius etiam esset de essentia istorum plurium: quod totum tam clare patet ex *Scoto* in prædicto loco, ut mirum sit oppositum venisse in mentem *Fuentis*.

Adde ad hæc, quod ratio principij conueniens priuationi conueniat ipsi intrinsece, & quidem essentialiter, si capiatur fundamentaliter: & similiter ratio principij conueniens materiæ & formæ conuenit ipsis intrinsece, & essentialiter; unde si conueniant illæ rationes in aliqua vna ratione abstracta ab illis, profecto conuenient in ratione vnioce & vnioce de ipsis prædicabili.

20. *Obijciat pro Fuente*: ratio principij seu significatum per hoc nomen *principium* æque denominat hæc tria principia: ergo dicitur de illis vnioce.

Respondeo negando suppositum antecedentis, nempe quod detur aliqua vna determinata ratio principij abstracta ab his tribus principiis, quod probare deberet hic author, ut aliquid concluderet.

Obijciat secundo pro *Mastrio* ex *Scoto* 1. d. 3. q. 2. quando intellectus est certus de aliquo conceptu, & incertus de aliis, ille conceptus, de quo est certus, debet esse conceptus communis vnioce illis aliis: sed intellectus potest esse certus de priuatione quod sit principium corporis naturalis, & incertus an sit principium per modum termini ad quem: ergo datur conceptus principij ut sic communis vnioce tribus principiis.

Respondeo distinguendo maiorem: quando ille conceptus vnus, de quo est certus, est conceptus determinatus, concedo: quando non, nego maiorem, & instantiæ patent ex dictis in Logica de vltimis differentiis ac indiuiduis; ex quibus etiam patet ad reliquas obiectiones, quæ contra hanc resolutionem opponi possent.

21. *Querens secundo*, an hæc tria principia sint contraria. *An principia sunt contraria.*

Respondeo breuiter esse contraria in modo principij, quatenus habent diuersissimū modū causandi. *Deinde* sunt etiam contraria in entitate, quatenus habent dissimiles entitates: non sunt autem contraria eo modo quod duæ formæ positivæ expellentes se inuicem ab eodem subiecto dicuntur contrariæ, quia materia non habet subiectum, nec expellitur à forma, priuatio autem non est forma positua. Priuatio vero & forma sunt contraria contrarietate large sumpta, propterea scilicet coincidunt cum oppositione, quia sine dubio opponuntur priuatione, cum non compatiantur in eodem subiecto, nempe in eadem materia, & vnum ex ipsis sit priuatio alterius. Nec hæc res indiget maiori examine, quamuis ab aliquibus fuisse tractetur, nimis anxie sollicitis de difficultatibus nominalibus, quæ tamen ex vocum significatione cuilibet patent.

DISPUTATIO III.

De materia prima.

Quandoquidem ex tribus principiis concurrentibus ad generationem corporum naturalium materia prima sit primum, & commune subiectum aliorum duorum principiorum, priuationis scilicet

scilicet & formæ, quæ propterea ipsam præsupponunt, semper naturâ, aliquando etiam tempore; ideo immediate post considerationem principiorum in communi, de ea videndum videbatur.

QUESTIO I.

An & quid sit materia prima.

CONCLUSIO I.

1. Datur materia prima. Hæc est communissima inter omnes Theologos, & Philosophos cum Patribus August. Ambrosio, Chrysost. Beda citatis à Masio hic, & cum Philosopho hic c. 6, ac Platone in *Tymæo*, contra aliquos recentiores Gallos; quos nuper tenuisse oppositū *Parisiis*, & propterea à *Parlamento Parisiensi* merito proscriptos fuisse asserit *Camerarius par. 2. quæst. 1.* qui tamen ipse in re videtur cum ipsis convenire, dum negat materiam primam in sensu, in quo communiter accipitur à Philosophis, aliam non agnoscens pro materia prima, quam quatuor elementa, quæ à prædictis authoribus negata fuisse non est verisimile. Itaque ab eodem *Parlamento Camer. ipse* æque merito proferri debet.

Probat. à *Complutensibus* quia in qualibet mutatione necessario debet dari subiectum, quod transeat à priuatione ad formam: ergo & in mutatione substantiali; sed illud, quod est subiectum primum in mutatione substantiali, est materia prima: ergo datur materia prima. Hæc probatio non placet, quia supponit illud quod esset probandum, nimirum mutationem substantialem: quamvis enim ab omnibus supponi debeat produci de nouo substantiam, tamen qui negaret materiam primam, merito etiam negaret substantias, quæ de nouo producuntur, produci per mutationes substantiales.

Et propter eandem rationem non videtur mihi convincere probatio communis Scotistarum ac aliorum, quæ supplere posset defectus præcedentis probationis: nimirum quod si non daretur materia prima ac mutatio substantialis, sequeretur quod agens naturale crearet, & annihilaret. Si enim quando corrumpitur lignum, & producit ignis, tota substantia ligni, nulla relicta parte, destruitur, & tota substantia ignis secundum omnem partem sui producit, lignum annihilatur, hoc est secundum se totum, & omnes suas partes redigitur in nihilum, & ignis creatur, hoc est producit de nouo secundum se, & omnes suas partes ex nihilo. Hæc, inquam, probatio se sola non sufficit, quia qui negaret materiam primam, non haberet pro inconuenienti totam hoc concedere. Vnde probandum est quod sit absurdum ac inconueniens causam secundam aut annihilare aut creare: hoc autem probato, bona esset communis illa ratio.

2. Probat. ergo hoc, & simul conclusio: Causa naturalis non potest producere substantiam ignis de nouo, nec ullam aliam, nisi destructa alia substantia, verbi gratia, ligni, neque potest corrumpere ullam substantiam, nisi producta aliqua alia, ut euident est experientia quotidiana: sed huius non est alia ratio, nisi quia non potest producere substantiam de nouo secundum omnes suas partes, sed potius requirit concursu alicuius partis substantiæ corruptæ, quæ maneat in substantia producta; cur enim non posset producere de nouo substantiam absque destructione alterius, nisi propter dependentiam, quam habet substantia producenda à destructione alterius substantiæ: aut quam dependentiam potest illa substantia habere ab illa destructione, nisi quia non potest esse absque parte aliqua istius substantiæ quæ destruitur?

Dices: Ideo productio ignis dependet à destructione ligni, verbi gratia, quia non est compatibilis cum ligno.

Contra: non potest habere incompatibilitatem cum ligno, nisi incompatibilitatem in eodem subiecto, vel incompatibilitatem in eodem loco: primam incompatibilitatem non habet, quia ignis, & lignum, cum sint substantiæ completæ, non habent subiectum, in quo sint; & si haberent, iam illud subiectum esset materia prima. Secunda incompatibilitas non requirit destructionem, quia sufficeret expellere substantiam, quæ destruitur, ab eodem loco, sicut vnus homo expellit alium hominem: ergo quamvis habeant illam incompatibilitatem, non

deberet lignum destrui ad productionem ignis.

3. Dices, esse naturam ignis aut causam producentis ignem, expellere substantiam, in cuius loco producit substantiam ignis producti, eam destruendo, & non posse illam alio modo expellere.

Contra: non debet talis natura destructiua esse indita ulli causæ frustra: sed frustra inderetur ipsi, quandoquidem iungeret quod absque destructione expelleret illam à loco.

Dices, agens naturale destruere vnâ substantiam, ut per transubstantiationem produceret aliam substantiam.

Contra, quia frustra illa virtus transubstantiatiua inderetur ipsis, per quam vnâ substantiam destruere deberent totaliter ut aliam producerent, cum vtrique posset esse simul in rerum natura, modo vna tantum à loco remoueretur.

Alij addunt ad hoc, quod actio illa transubstantiatiua sit miraculosa, & fide tantum credita, & quod propterea non debeat attribui causis naturalibus. Sed hoc parum deferuit, nam quamvis de facto actio transubstantiatiua Eucharistica sit sine dubio miraculosa, quatenus ponit corpus Christi sub speciebus panis destructa substantia panis, tamen dubitari posset an detur de facto actio transubstantiatiua alterius rationis, per quam vna substantia conuerteretur totaliter in aliam substantiam, ita ut vna pariter cum suis accidentibus desinere, & altera maneret cum suis in eodem loco.

Confirmatur hoc, & tota probatio per omnia illa principia, ex quibus colligitur causam secundam non posse naturaliter creare: hoc enim supposito non potest dubitari de conclusione.

Obiectio alia non potest esse contra hanc conclusionem, nisi quod non esset necessaria materia prima; sed hoc falsum esse patet ex fundamento conclusionis.

CONCLUSIO II.

4. Materia prima bene describitur esse primum subiectum, ex quo aliquid fit, cum insit, non secundum accidens, & si corruptitur aliquid in hoc abibit ultimum. Hæc est Philosophi capite ultimo huius libri, quem omnes Peripatetici sequuntur. Probat. quia omni, & soli conuenit, & ita significat naturam materiæ primæ, ut per eam possumus materiam distinguere ab omni, quod non est materia, nec in ea ponitur aliquid superfluum: ergo est bona descriptio eius, quia nihil aliud quam hoc requiritur ad bonam descriptionem. Probat. antecedens exponendo singulas particulas. Dicitur *subiectum*, quia recipit in se formam, quæ est altera pars corporis naturalis, & per hoc distinguitur à forma, & etiam à priuatione, quæ non est subiectum. Dicitur *primum*, quia ipsa non fit ex ullo alio subiecto, & per hoc distinguitur à quocumque subiecto, quod fit ex alio subiecto, nempe à toto composito. Dicitur *ex quo aliquid fit cum insit*, & non per accidens, quia reuera ex ea, tanquam ex parte componente, & per se fit totum compositum physicum. Aliqui autem excludunt per illas particulas priuationem, sed reuera priuatio erat exclusa antecederet per *ly subiectum*: Alij existimant excludi compositum quod est subiectum, ex quo fit accidens quodcumque eductum ex eius potentia: sed hoc etiam compositum exclusum erat per *ly primum*. Vnde existimo per hanc particulam excludi potius substantiam quamcunque simpliciter completam verbi gratia celestem (supposito quod non constet materia) quæ substantia esset primum subiectum ex quo fierent accidentia connaturalia sua, sed non inesset illis accidentibus: esset etiam primum subiectum, ex quo fieret totum accidentale conflatum ex substantia illa, & quolibet ex illis accidentibus, & etiam inesset illi toti, sed non per se, sed potius per accidens, quia ipsi toti non esset vnus per se, sed per accidens. Deinde pari ratione excluderetur per hanc particulam materia prima per se existens, quatenus esset primum subiectum accidentium in ea subiectorum, & totius per accidens resultantis ex ea, & quocumque ex illis accidentibus, etiam si per impossibile ipsamet non peteret connaturaliter subiectari in alio subiecto. Vltima particula, & si corruptitur aliquid in hoc abibit ultimum, adiungitur

Kk à Philo

Datur materia prima.

Alia probatio insufficiens.

Probatio melior.

à Philosopho non tanquam pars per se definitionis aut descriptionis, quia per priores particulas sufficienter describitur; unde à pluribus omittitur hæc particula, dum describunt materiam etiam ex mente, & verbis Philosophi; sed adiungitur maioris declarationis causa, ut aduertatur quod sicut est primum subiectum ex quo fit generatio rei, ita etiam sit vltimum subiectum, in quod resoluitur corruptio, & destructio rei, quod tamen ipsum sufficienter colligi posset per hoc quod esset primum subiectum, nam ex hoc sequitur, quod non posset corrumpi, & quodcumque subiectum, quod non est primum subiectum, sed compositum ex primo subiecto, potest corrumpi, quantum ad naturam suam intrinsecam.

5. Ex hac descriptione sequitur materiam primam esse substantiam incompletam, nam eo ipso quod sit primum subiectum, non potest habere aliud subiectum, & consequenter non potest esse accidens, quia accidens quodcumque essentialiter dicit ordinem saltem aptitudinalem ad subiectum. Deinde ex eo quod ex ea, tanquam ex parte componente, fiat substantia vna per se, nempe compositum substantiale, sequitur quod compleri debeat per alteram partem, & consequenter quod sit incompleta. Deinde ex eo, quod ex materia tanquam ex parte subiectiua fiat compositum vnum per se, sequitur quod sit nata recipere aliam partem, & quod sit in potentia per se ad illam partem; & ex eo quod ex ea, tanquam ex subiecto primo, fiat huiusmodi compositum, sequitur quod ipsamet non includat plures partes essentielles physicas, quia alias non esset primum subiectum physicum, sed altera potius pars ex illis partibus essentialibus physicis ex quibus componitur; & consequenter ad hoc sequitur quod sit pura potentia physica non includens vllum actum physicum, hoc est vllam formam physicam tanquam partem essentialem, ex qua componitur, cum quo tamen stat, quod possit includere plures partes essentielles metaphysicas & plures partes integrales non essentielles physicas.

Obijcies contra hæc: Philosophus 1. Met. sex. 8. ait materiam neque esse quid, id est, substantiam; neque quantum; neque quale; neque aliquid eorum, quibus ens determinatur, id est, neque aliquid ex iis, quæ ponuntur in prædicamentis: ergo non est substantia, neque consequenter primum subiectum.

Respondetur explicando Philosophum: non est substantia completa, nec aliquid completum ex iis, quæ directe ponuntur in prædicamentis, concedo antecedens ex mente Philosophi: non est substantia incompleta, & indirecte tantum collocabilis in prædicamento vlllo, nego antecedens, & in se, & ex mente Philosophi. Et similiter distinguo consequens: ergo non est substantia completa, concedo, incompleta, nego consequentiam.

CONCLUSIO III.

6. *Materia prima distinguitur realiter ab elementis, igne verbi gratia, aëre, aqua ac terra. Hæc etiam est communissima contra Camerarium, qui plures veteres, & aliquos recentiores pro se citat. Probatur manifeste, quia ignis de nouo generatur, ut patet experientia: ergo sit ex aliquo subiecto præsupposito, alias crearetur, ut patet: sed illud subiectum præsuppositum est materia prima, non verò ignis, est enim primum subiectum, & ignis non est tale cum fiat ex illo alio subiecto. Præterea ignis de nouo definit esse: aut ergo secundum totam suam substantiam nulla relicta parte substantiali intrinseca, & sic annihilaretur, quod est absurdum; aut relicta aliqua parte, & sic datur materia prima distincta ab igne, & cæteris elementis; neque enim illud, quod includitur per se in igne, & eo definiente remanet, potest esse vllum aliud elementum, ut patet.*

Et per hoc patet ad fundamentum leuissimum Camerarii, nempe quod non sit necessitas aut indicium distinguendi materiam primam ab elementis, & quod elementa sint ingenerabilia ac incorruptibilia, quod probat ostendendo elementa non posse convertere se in se inuicem. Sed quidquid sit de hoc, hinc non sequitur, quin ignis de facto producat de nouo alium ignem, & non solum ignis, sed alia

causa, siue hoc fiat per conuersionem alterius elementi, siue non; ergo ignis est generabilis de nouo.

7. *Confirmatur primo, per omnia illa argumenta, quibus in libris de generatione ostenditur mixta non componi ex elementis formaliter; hinc enim euidenter sequitur elementa non esse materiam primam mixtorum, & consequenter mixta habere aliam materiam primam.*

Confirmatur secundo, quia sequeretur plura corpora esse naturaliter in eodem loco, verbi gratia, ignem, aërem, aquam, terram. Hanc confirmationem fusius proponam loco iam citato, eam iam proposui, ut impugnarem responsum Camerarii.

Itaque ille respondet negando sequelam, quia sunt in eadem parte materiae. Sed hæc responsio non est intelligibilis; si enim non sit materia distincta ab ipsismet elementis, quomodo possunt esse in eadem materiae parte? Deinde quæro, quænam sit illa materiae pars, in qua sunt. Si dicas ipsa elementa: ergo elementa sunt in seipsis, quod est ludicrum: si aliud quidpiam, ergo datur materia distincta ab elementis.

8. Pro complemento huius quæstionis proponenda videbantur varia nomina, quibus veteres materiam appellare consueverunt, occasione accepta ex eius natura iam descripta. *Ægyptij eam facem viam dixerunt, quoniam substantiarum à Deo productarum est contemptibilissima: quam etiam ob rationem August. 12. Confess. eam ait esse prope nihil. Idem Ægyptij eam Lunæ effigie hieroglyphice denotabant, quod Lunæ instar, alieno splendore eniteat, pulchritudinem omnem à forma, quam recipit, desumens; & etiam quod nimium mutabilis modo hanc, modo illam speciem induat, qua de causa vocatur adultera, ac etiam malefica; non vero quia machinatur eadem formam, quam possidet, ut alia forma fruatur (ut dicunt Complutenses) hoc enim omnino falsum est, illa enim contentissima est quacumque, & mere passiuè se habet ad mutationes, quas subit, ut propterea merito posset ab his odiosis nominibus vindicari.*

Plato eam vocat magnum & paruum; magnum quidem capacitate, quod scilicet omnes formas possit recipere, & in omnibus speciebus corporum naturalium compositorum reperiri; paruum autem, quod ex se nullas formas aut operationes habeat. Idem quoque Matris nomen illi attribuit, sicut & post eum Aristoteles, eo quod instar matris formas substantiales in sinum receptas sustentando foueret; vel quod composita corporea omnia ex ea, tanquam ex communi omnium matre generarentur. Ab Hesiodo, & Poëtis appellabatur Chaos, quia secundum se est rudis indigestaque moles, quod de chaos dixerat Onidius. Omitto alia nomina, quia hæc sunt præcipua, & magis vîrata apud veteres.

QVÆSTIO II.

Virum materia prima sit generabilis & corruptibilis.

Certum est quod materia prima, cum sit quid finitum & limitatum, possit à Deo de nouo produci, & ita destrui, ut non existat in rerum natura: sed quæritur an sit proprie loquendo generabilis & corruptibilis.

CONCLUSIO I.

9. *Materia prima est generabilis, & corruptibilis subiectiue, & est etiam radix generationis & corruptionis. Hæc materia prima est radix*

Probatur prima pars, quia est subiectum generationis & corruptionis: ex ea enim res omnes, tanquam ex primo subiecto, generantur & corrumpuntur, eaque est, quæ mutatur subiectiue motu generationis & corruptionis, illa enim est quæ transit à non forma ad formam, & à forma ad non formam.

Probatur secunda pars, quia illud est radix intrinseca generationis & corruptionis naturalis, cui est cõnaturalis generatio & corruptio: sed soli materiæ ex omnibus substantiis est cõnaturalis generatio & corruptio: ergo. Probatur minor, quia illa sola est, quæ per generationem, & cor

Materia
prima di-
stingui-
tur reali-
ter ab
elemen-
tis.

Materia
prima est
radix
genera-
tionis &
corru-
ptionis.

& corruptionem acquirit aliquam perfectionem, quam per se appetit, nimirum formam substantialem, qua intrinsece & per se perficitur.

Dices: compositum substantiale per generationem accipit esse, ergo acquirit aliquam perfectionem per generationem, & consequenter potest dici esse radix generationis. Et similiter potest discursu de forma.

Respondeo secundo, quamvis totum concederetur, nihil esse contra nos, quia non esset radix corruptionis, dicitur autem in conclusione quod materia sit causa & radix generationis & corruptionis.

Respondeo tertio, illud non dici proprie radicem generationis, quod per ipsam generationem fit: forma autem, & compositum fiunt per generationem, & propterea, quamvis acquirant esse per eam, non erunt radix eius intrinseca.

CONCLUSIO II.

10. *Materia prima non est generabilis aut corruptibilis terminative.* Hæc etiam est communis, & probatur, quia non potest produci nec destrui per generationem aut corruptionem: ergo, &c. probatur antecedens, quia quod producit per generationem, aut destruit per corruptionem, debet habere subiectum; sed materia non habet subiectum ex quo fieret, cum sit primum subiectum: ergo &c. Et hæc ratio probat quod neque per divinam potentiam posset esse terminus generationis aut corruptionis. Hinc sequitur nullum agens naturale posse producere materiam primam, aut eam destrui; quia hinc sequitur quod non possit produci aut destrui nisi per creationem, aut annihilationem; agens autem naturale non potest creare, aut annihilare: ergo agens naturale nequit producere, aut destrui materiam primam. Probatur consequentia, quia substantia non potest produci nisi per generationem aut creationem, nec destrui nisi per corruptionem aut annihilationem.

11. *Sed obiicit contra hoc Laurentius Valla,* quia agens naturale potest producere formam, quæ perfectior est: ergo & materiam, quia quod potest in plus, potest in minus.

Confirmatur primo, quia non requiritur maior virtus in causa, quam sit in effectu: sed agens naturale habet omnem virtutem, quæ est in materia prima, & aliquid amplius: ergo potest esse causa respectu eius.

Confirmatur secundo, quia vermes producti in speciebus sacramentalibus non præsupponunt ullam materiã, ex qua fiant: sed eorum materia simul cum ipsis producit ab agente naturali: ergo causa naturalis potest producere materiam.

Respondeo negando consequentiam cum sua probatione: nam homo est perfectior bruto, & lapide, & arbore, quæ tamen nequit producere, quamvis possit producere alium hominem. Itaque non ex perfectione materiæ oritur, quod non possit produci per causam naturalem, sed ex modo producendi, qui competit ipsi, nimirum creatione; qui modus etiam rebus imperfectissimis potest convenire. Quod autem talis modus producendi competit materiæ, probatur, quia alias produceretur ex subiecto, & sic ipsa non esset primum subiectum.

Et per hoc patet ad primam confirmationem, quia non sufficit æqualis virtus, nec etiam maior, sed ulterius requiritur quod effectus contineatur in virtute causæ, & quod non habeat modum producendi, qui non possit competere causæ.

12. *Ad secundam confirmationem respondeo* negando minorem, sed materiam, quæ tum producitur, creatur à Deo de nouo, vel reproducitur antiqua. Et si quæratur, cur id facit, *Respondeo,* quia voluit concurrere cum illis speciebus, quantum ad omnes actiones naturales non minus quam si subesset illis substantia panis; unde cum, si adfuisset substantia panis, agentia naturalia circumstantia tum, cum producantur vermes, producerent vermes ex materia panis, Deus defectum istius materiæ supplet producendo de nouo vel illam vel aliam, ex qua vermes isti generentur.

Obiicit secundo, si materia est incorruptibilis naturaliter,

erit perfectior formis substantialibus, quæ sunt corruptibile.

Respondeo negando sequelam, nam ex hoc solum habetur quod sit magis durabilis naturaliter, sed hic excessus est excessus tantum secundum quid.

Confirmatur, quia homo facilius corrumpi potest naturaliter quam lapis aut ferrum, & tamen non propterea est imperfectior lapide aut ferro, quia scilicet inde sequitur tantum maior excessus in duratione, non vero in operationibus aut aliis perfectionibus.

QVÆSTIO III.

An materia prima sit ita pura potentia, ut non includat essentialiter vllum actum metaphysicum aut physicum.

13. *Non* est quæstio de potentia actiua, quia communiter supponitur materiam primam non esse actiuam; & si sit aliquo modo actiua, certum est quod non sit solummodo actiua, sed etiam receptiua; nec etiam est quæstio de potentia obiectiua, prout illud dicitur potentia obiectiua, aut potius in potentia obiectiua, quod est possibile, sed nondum existit in rerum natura neque propria, neque aliena existentia; nam omnes fatentur materiam primam realiter existere. Quæstio ergo est de potentia susceptiua. Ut autem adhuc melius intelligatur controuersia,

Aduertendum est, aliud esse potentiam susceptiuam, aliud esse puram potentiam susceptiuam. Illud est pura potentia susceptiua, quod potest recipere aliquem actum seu formam, & sic paries est potentia susceptiua respectu albedinis, intellectus respectu intellectionis. Illud est pura potentia susceptiua, quod non includit intrinsece tanquam partem essentiali sui aliquem actum aut formam, & potest tamen recipere aliquam formam. Quia vero res potest includere intrinsece tanquam partem essentiali sui aliquam formam physicam realiter à se distinctam, ut homo includit animam, ignis formam substantialem ignis, & potest etiam includere aliquam formam metaphysicam, ut homo includit rationalitatem realiter sibi identificatam; si autem includat formam physicam, quamvis posset recipere aliam formam physicam, erit quidem potentia susceptiua physica, sed non erit pura potentia physica; si vero includat formam metaphysicam, quamvis posset recipere aliam formam metaphysicam, erit potentia metaphysica, sed non erit pura potentia metaphysica. Hinc illud est pura potentia physica, quod non includit intrinsece, tanquam partem essentiali sui, formam physicam; & illud est pura potentia metaphysica, quod non includit tanquam partem essentiali sui formam metaphysicam.

14. Ex quo patet hanc quæstionem dupliciter posse habere sensum, primus est, an materia prima sit ita pura potentia physica, ut non includat vllum actum, tanquam partem essentiali physicam sui. Secundus est, an sit ita pura potentia metaphysica, ut non includat vllum actum vel formam metaphysicam, tanquam partem sui.

Prima sententia est materiam primam esse ita puram potentiam, ut neque includat vllum actum physicum aut metaphysicum. Hanc tenent puriores Thomistæ, quos citat & sequitur *Ruinshic & Complutensis quæst. 2.*

Secunda sententia est materiam primam includere actum metaphysicum, non vero physicum, & propterea eam esse in pura potentia susceptiua physica, non vero metaphysica. Hæc est communior iam cum *Doctore 2. di. 12. q. 1.* cum suis omnibus, quos sequuntur *Suares disp. 13. Met. sect. 5.* & recentiores fere omnes.

CONCLUSIO I.

Materia prima est ita pura potentia susceptiua physica, ut nullum actum physicum includat tanquam partem essentiali physicam sui. Hæc est communis apud authores vtriusque sententiæ.

Probatur euidenter, quia alias non esset primum subiectum physicum, & consequenter non esset materia prima. Probatur sequela, quia si includeret aliquem actum physicum, illa

K k 2 ille

Non est
genera-
bilis aut
corrupti-
bilis ter-
minabilis.

Quid sit
pura po-
tentia
suscepti-
ua.

Duplex
sensus
quæstio-
nis.

Materia
prima est
pura pot-
entia phy-
sica.

ille actus deberet habere aliquod subiectum, quod etiam esset inclusum in materia, quia alias non esset actus: sed illud subiectum esset prius quam esset materia prima, quia partes physice sunt priores toto physico: ergo materia prima non esset subiectum primum.

Probaturs secundo, quia alias materia prima non esset primum principium rerum naturalium, nam fieret ex alio principio in eodē genere causā, in quo alia sunt ex ipsa materia: fieret enim ex parte physica componente receptiva, nimirum ex illo subiecto quod actuaretur per formam physicam, quam includeret: sed hoc est absurdum.

Confirmatur: illud subiectum, ex quo fieret materia prima, vel includeret aliam formam physicam, & aliud subiectum, vel non includeret: si includeret, tum daretur processus in infinitum, quod in proposito hoc est absurdum, & gratis dictum; si non includeret, ergo idem dicendum de ipsa materia prima: quia est eadem ratio de ipsa, & illo alio subiecto quantum ad hoc.

CONCLUSIO II.

16. *Materia prima non est ita pura potentia, quin includat actum metaphysicum.* Hæc est iuxta secundam sententiam contra primam.

Probaturs, quia materia prima includit gradum entis incompleti, & substantiæ incompletæ, & partis physice susceptivæ, & isti gradus sunt eodē modo inter se distincti, quo gradus entis completi, & substantiæ completæ, & substantiæ compositæ ex partibus physicis; sed ex illis gradibus formalitas seu gradus substantiæ est differentia contrahens gradum entis, & gradus partis susceptivæ est differentia contrahens gradum substantiæ incompletæ, & consequenter gradus substantiæ est actus metaphysicus actuans metaphysicē gradum substantiæ incompletæ; ergo materia prima includit tanquam partem essentialē metaphysicam sui actum metaphysicum, & consequenter non est pura potentia metaphysica.

Confirmatur: homo includit actum metaphysicum, quia includit rationalitatem, quæ est actus metaphysicus actuans, & determinans animal ad esse hominis: sed materia prima includit susceptivitatem, quæ est differentia contrahens rationem substantiæ incompletæ ad esse materiæ primæ: ergo includit essentialiter actum metaphysicum.

Confirmatur secundo, quia ideo colligitur quod homo includat actum metaphysicum, quia videmus quod includat plures formalitates, in quarum vna convenit cum aliis rebus distinctæ naturæ ab ipso (nempe in animalitate) sed materia prima convenit cum forma substantiali in ratione entis incompleti substantialis, & disconvenit ab illa in ratione partis susceptivæ substantialis & primi subiecti: ergo debet dici quod includat actum metaphysicum, nempe differentiam illam, per quam distinguitur à forma & aliis rebus. Quod si quis negaret huiusmodi formalitates diversas in materia prima, profecto eodem modo & æque facile posset negare formalitates diversas in homine, aut quavis alia re.

Confirmatur tertio, quia materiæ primæ sublunarium omnium sunt eiusdem speciei inter se, & diversæ speciei à materiæ cælestium in sententia adversariorum: ergo omnes materiæ sublunares conveniunt in differentia vna specifica, per quam distinguuntur specie à materiæ cælestium.

17. *Dices cum Complutensibus* materiam primā sublunarium esse eiusdem speciei negativæ, non vero positivæ.

Contra, quia hæc responsio est gratissima, & eodem modo posset quis dicere quod humana natura esset eiusdem speciei negativæ tantum & non positivæ. Deinde materiæ primæ sublunares habent positivam formalitatem, secundum quam conveniunt inter se & disconveniunt ab aliis rebus: ergo sunt positivæ eiusdem speciei.

Dices materiam primam non esse eiusdem speciei positivæ, quia non habet differentiam;

Contra, quia habet formalitatem per quam convenit cum aliis rebus, & aliam per quam differt ab illis non minus quam homo: ergo habet differentiam non minus quam homo.

Dices eam differre seipsa, & non per differentiam. *Contra*, sic etiam posset quis dicere de homine ac de Angelo, quod nimirum differret se ipso ab illis rebus, à quibus differt. Deinde, si per hoc quis velit quod differat seipso, id est ratione alicuius formalitatis in ipsa incluse, verum est, sed non ad rem, quia hoc non tollit, quin habeat differentiam per quam differat: si velit dicere quod seipsa totaliter differat, ita ut non conveniat in vlla formalitate cum aliis rebus, falsum est; quia convenit cum forma in ratione entis incompleti substantialis.

Quod si dicatur cum *Rumio*, quod materia non sit species completa directe collocabilis in prædicamento substantiæ, hoc ultro concedendum est; sed inde non inferitur, quin includat actum metaphysicum incompletum, nec nos de alio actu loquimur.

Adde adversariorum fundamenta esse levissima, & multo facilioris solutionis quam nostra, ut ex eorum solutione patebit.

18. *Obiicies primò*: si materia secundum se, & prout distinguitur à forma, haberet actum, aut differentiam metaphysicam, per illam distingueretur ab aliis rebus: sed hoc est absurdum: ergo. *Probaturs minor*, quia omnis distinctio positiva specifica est à forma: ergo si materia distingueretur secundum se positivè, & specificè ab vlla re, haberet formam, & non haberet formam; haberet quidem, quia distingueretur, non haberet autem, quia supponitur considerari quatenus non includit formam.

Respondeo negando minorem, & distinguendo antecedens probationis: omnis distinctio est à forma physica vel metaphysica, transeat à forma physica sola, nego: tū quia certū est Angelos distingui specie inter se, quāvis non habeant formam physicam; tum quia celi (si tamē content materiæ diversæ speciei à materiæ sublunarium, ut tenent adversarij) sine dubio distinguuntur specie à sublunariis non solum ratione formæ, sed etiā ratione materiæ; tum denique quia gratissime dicitur quod omnis distinctio sit à forma physica. Distinguo etiam consequens: si materia secundum se distingueretur, haberet formam physicam, & non haberet formam physicam, nego; haberet formam metaphysicam, & non haberet formam physicam, concedo consequentiam.

19. *Dices cum Complutensibus*: ad hoc ut aliquid habeat formam seu differentiam specificam seu metaphysicā, debet habere principium aliquod, & radicem, unde desumatur: sed tale principium non potest esse, nisi vel actus informans, qualis est forma substantialis, vel actus subsistens qualis est Angelus; ergo cum materia nec habeat vllum actum ex his, nec etiam sit vllus actus ex illis, non poterit includere actum metaphysicum.

Confirmatur ab iisdem, quia genus habet desumi, tanquam à radice, vel à materiæ prima, quæ est pura potentia, vel ab aliquo, quod habeat aliquid veræ potentialitatis admixtum: ergo differentia metaphysica desumi debet ab aliquo quod physicè habeat rationem actus vel informantis vel subsistentis.

Respondetur negando minorem; tale enim principium est quæcumque entitas realis, & physica, quæ est diversæ naturæ ab alia entitate reali, & physica, & talis entitas est materia prima.

Ad confirmationem respondeo negando consequentiam, neque enim sequitur illud consequens, sed potius sequeretur hoc aliud: ergo debet differentia desumi ab aliquo, quod est actus vel habet aliquid actualitatis, & concedo libenter hanc consequentiam; materia autem habet aliquid actualitatis, quia habet in se gradum determinationis entis incompleti, & substantiæ incompletæ, quod sufficit.

20. *Obiicies secundo*, ex iisdem Complutensibus: si materia esset aliqua species positiva incompleta, aut haberet differentiam, qua constitueretur in esse talis speciei, deberet reduci ad aliquam speciem completam: sicut n. species imperfecta reducit ad perfectam, ita incompleta ad completam: sed non potest reduci ad vllam speciem completam, quia non ad omnes, cū non participet

natu

Includit metaphysicum.

Non omnis distinctio est à forma physica.

materiam omnium; neque ad aliquam vnam, quia non potius ad vnam quam ad quamcumque aliam.

Respondeo negando minorem, potest enim reduci ad quamcumque speciem substantiæ materialis physice compositæ, quia est pars essentialis cuiuscumque talis substantiæ, & bene potest pars reduci ad totum; neque alio modo debet participare omnes illas species, nisi quatenus debet esse talis pars earum. *Adde* argumentum hoc posse retorqueri, quia omnis species incompleta negatiue tam bene reduci debet ad speciem completam, quam species incompleta positiue: sed materia secundum aduersarios est species incompleta negatiue: ergo vel debet reduci ad aliam speciem completam, vel non debet: si debet & potest, ergo similiter poterit reduci, quamuis esset species incompleta positiue; si non potest nec debet, ergo nec debet etiam sic reduci, quamuis esset species incompleta positiue.

QUESTIO IV.

Utrum materia prima sit actus entitativus.

21. **Q**uestio hæc potest, & solet etiam ita disputari, ut omnino sit de nomine, potest tamen etiam sic examinari, ut sit etiam de re. Si enim per actum entitativum intelligatur illud quod existit realiter, & non est potentia tantum obiectiua, prout est Anti-Christus iam, sicut *Scotus 2. d. 12. quæst. 1.* & multi *Scotistæ* intelligunt, nemo potest dubitare quin materia prima sit actus entitativus, & *Thomistæ*, qui absolute negant materiam primam esse actum entitativum non negant eam esse actum entitativum in hoc sensu; unde inter illos, & *Scotistas*, intelligentes hoc modo actum entitativum, est quæstio tantum de nomine.

Sensus
quæstio-
nis.

Alio modo potest per actum entitativum intelligi omne illud quod habet existentiam sibi propriam non existens per existentiam alienam, nec potens sic existere; in hoc sensu est quæstio hæc realissima, nam sensus esset an materia prima habeat existentiam sibi propriam distinctam ab existentia formæ.

Prima sententia est quod materia non sit actus entitativus; nec includat talē actum. Ita puriores *Thomistæ* citati à *Complutensibus* hic quæst. 2. ex quibus tamen aliqui dicunt, ut *Ruius* ibidem, quod materia prima habeat propriam existentiam communicatam tamen sibi à forma; alij vero communius dicunt, quod existat eadem ipsa existentia, qua forma existit.

Secunda sententia est *Doctores 2. dist. 12. quæst. 1.* cum suis omnibus, & recentioribus communiter in hac materia, nempe quod materia prima sit actus entitativus.

CONCLUSIO.

22. *Materia prima non est ita pura potentia, quin includat actum entitativum, aut sit actus entitativus.* Hæc est iuxta secundam sententiam contra primam.

Materia
includit
actum
entita-
tivum.

*Probat*ur, quia si intelligamus per actum entitativum illud, quod realiter existit, & non est in potentia obiectiua, aut si dicamus illud quod sic existit includere actum entitativum, certum est materiam primam esse actum entitativum, aut includere talem actum, quia certum est quod realissime existit; alias composita non existerent realiter, nec formæ etiam materiales, quia hæc educuntur realiter à potentia materiæ, & dependent in esse, & conservari à materia; quod fieri non posset, nisi materia realiter existeret. Si autem dicatur illud esse actus entitativus, aut includere actum entitativum, quod habet propriam, & peculiarem existentiam, probatur quod materia, ut distinguitur realiter à forma, habeat peculiarem, & propriam existentiam distinctam realiter ab existentia formæ. Probat inquam hoc primò, quia, ut in *Metaphysica* ostendetur, existentia realis realiter identificatur rei existenti per illam, neque aliquid potest existere realiter per aliquid à se realiter distinctum sed materia distinguitur realiter à forma, & ab existentia formæ: ergo existit per propriam existentiam distinctam ab existentia formæ.

23. *Probat*ur idem secundò, quia omnis actio realis causæ effectivæ habet pro termino aliquid, ut existens; per talē enim actionem nihil aliud facit efficiēs, quam co-

municare existentiam rei, seu efficere ut aliquid, quod ante non existeret, existat; ergo ubi sunt duæ actiones realiter distinctæ, & habentes terminos realiter distinctos, quilibet ex illis terminis debet habere existentiam sibi correspondentem: sed actio productiva materiæ, & actio productiva seu educitiva formæ sunt actiones reales distinctæ rationis, quia una est creatio, altera educio, & habent etiam terminos distinctos, una nempe materiam, & altera formam: ergo tam materia quam forma debet habere propriam existentiam.

Et si dicat, quod uterque terminus posset terminare actionem realem ut existens, quamvis uterque existeret eadem existentia, & consequenter quod non sit necesse ut existant diuersis existentibus.

Contra, quamvis hoc posset dici quando uterque terminus simul produceretur, tamen in proposito nostro nequit habere locum, quia materia prius natura producit quam forma.

24. *Unde probatur idem tertio*, & confirmatur præcedens probatio: quidquid producitur realiter prius tempore aut natura quam aliud, debet pro illo priori habere existentiam & terminare actionem, ut existens: sed materia prius natura saltem producitur quam forma: ergo pro illo priori debet habere existentiam aliquam, secundum quam posset terminare actionem illam realem, per quam producitur: sed nō habet existentiam formæ, quæ in illo priori nondum producta est: ergo aliam, & consequenter materia habet propriam existentiam, siue existentia distinguatur realiter à materia; siue non. Et hæc probatio convincit contra *Ruium*, quod materia non habeat existentiam suam distinctam quidem ab existentia formæ, sed communicatam tamen à forma.

Dices materiam esse priorem forma in genere causæ materialis, posteriorem vero in genere causæ formalis. Sed præterquam quod hoc sit fallum, ut agentes de mutua causalitate causarum dicemus: Adhuc contra est, quod ut est prior, in quocumque genere est prior, debet habere existentiam: sed non potest habere existentiam formæ, ergo aliam, & consequenter propriam.

*Probat*ur idem quarto: si materia existeret existentia formæ aut existentia comunicata à forma, sequeretur quod produceretur à causa secunda productiva formæ, v. g. ab igne & aqua & similibus, & consequenter quod aut non produceretur semper per creationem, aut quod ignis naturaliter crearet, & aliæ causæ secundæ: consequens est contra omnes Peripateticos etiam aduersarios, ergo & antecedens. Probat sequela maioris: quidquid communicat existentiam alicui rei, aut producit eius existentiam, producit ipsam rem, eatenus enim potest aliquid produci, quatenus potest produci eius existentia aut communicari ipsi: sed ignis verbi gratia producit formam ignis cum eius existentia: ergo, si hæc ipsa existentia est existentia materiæ primæ, producit etiam materiam primam, & communicat ipsi eius existentiam.

26. *Probat*ur quinto, quia potest forma existere, quin existat materia, ut est evidens in anima rationali, & in quacumque etiam alia forma absoluta substantiali, quæ de potentia absoluta potest existere non existente vlla materia, aut saltem sine quacumque materia, quam semel informavit: ergo materia non existit per existentiam formæ. Probat consequentia, quia videtur impossibile quod rei alicuius existentia existat, non existente ipsa metre, cuius est existentia.

*Confirmat*ur hoc, quia de facto existit anima rationalis, & materia quæ informabatur per ipsam, & tamen illa materia non existit per animam rationalem: ergo per existentiam animæ nunquam existeret, & consequenter materia non existit per existentiam formæ. Secunda consequentia est evidens in sententia aduersariorum, qui in homine non ponunt nisi vnam formam substantialem, quæ est anima. Probat prima consequentia: quoties existit res aliqua, & existentia, per quam nata est existere, debet existere per illam existentiam: ergo si materia existit simul cum existentia animæ, sequitur quod non sit nata existere per existentiam animæ.

Kk 3

27. Præ

27 *Probatur sexto*, quia si materia existeret per existentiam formæ, aut etiam per existentiam communicatam à forma, sequeretur quod quoties destrueretur aliquod compositum, toties annihilaretur: sequeretur etiam quod toties crearetur materia, quia toties reciperet novam existentiam: sed hoc est absurdum etiam secundum aduersarios, ergo. Probatur sequela maioris quoad primam partem, quia toties desineret esse secundum omnem partem sui; desineret enim quoad formam, quia alias non destrueretur; desineret etiam quoad materiam, quia desinente forma desineret existentia materiae, & consequenter desineret ipsa materia: sed hoc est annihilari, ergo. Probatur idem antecedens quoad secundam partem, quia toties producit nova forma, per cuius existentiam existit materia.

Respondent aliqui materiam non annihilari, nec creari, quia quamvis perdat vnam existentiam, succedit tamen alia, & sic semper manet in eodem esse, sicut lumen productum ab vno agente, & conseruatum ab alio, semper manet idem.

28 *Contra*, quia, si existentia materiae sit existentia formæ, implicat materiam habere eandem existentiam, & consequenter manere in eodem existere, non manente eadem forma. Illud autem de lumine non est idem, quia nec actio productiua luminis, nec conseruatio eius sunt de intrinseca ratione luminis, & consequenter non est mirum quod iis variatis possit lumen idem quoad omnia sibi intrinseca manere: sed existentia est de ratione intrinseca materiae existentis, & consequenter mutatis existentis non manet materia in eodem esse existentia.

Respondent alij materiam semper manere eandem quoad esse essentia, quamvis varietur eius existentia. *Sed hæc responsio* non est ad rem, quia ad creationem sufficit quod res producat de nouo secundum omnem sui partem quoad esse existentia, siue extiterit ante quoad esse essentia, siue non.

Confirmatur, quia esse essentia materiae non potest alio modo destrui quam auferendo ab ipso existentiam; ergo si perdat existentiam, destruitur quoad esse essentia eo modo quo potest destrui quoad illud esse.

29 *Respondent* alij materiam ideo non destrui aut produci de nouo, quia nullo tempore vel instanti caret existentia, sed quando amittit existentiam prioris formæ, recipit existentiam posterioris.

Sed contra, quia de conceptu destructionis tantum est ut res perdat existentiam suam, siue eam, vel aliam iterum acquirat, siue non; & de conceptu productionis est, ut detur rei existentia, quam ante non habuit, siue aliam habuit, siue non; ergo reuera destruitur, & producitur materia de nouo.

Probatur septimo, quia si est eadem existentia veriusque, non magis debet dici, quod sit formæ quam materiae; & consequenter non magis debet dici, quod materia existit existentia formæ, quam forma existentia materiae: ergo tam bene potest dici quod materia habet propriam existentiam, quam id dicitur de forma, imo potius deberet dici quod forma existat per existentiam materiae, quia materia præsupponitur formæ, & hæc ex illa educitur, & ab illa sustentatur.

Probatur ultimo, quia nullum prorsus est fundamentum, vnde colligatur (vel cum mediocri probabilitate) quod materia non existat, nisi per existentiam formæ: ergo non debet asseri.

30 *Obijciens primo*: si haberet existentiam à se, vel illa existentia esset quid realiter distinctum ab ipsa, vel non esset: sed neutrum dici potest, ergo. Probatur minor quoad primam partem, quia sequeretur quod materia non esset pura potentia, ut distinguitur à forma, cum includeret actum existentia. Probatur eadem ratione etiam quoad secundam partem, & præterea omnibus rationibus, quibus probatur existentiam esse realiter distinctam à rebus existentibus.

Respondet negando minorem, ad cuius probationem pro vtraque parte respondeo distinguendo sequelam: non esset pura potentia metaphysica, concedo, non esset

pura potentia physica, nego; ex eo enim quod includeret existentiam, non sequeretur quod includeret actum physicum, quia existentia non est talis secundum omnes. Ad rationes autem, quibus probatur existentiam distingui realiter à re existente, respondebitur suo loco, & ostendetur contrarium.

Obijciens secundo, si materia existeret propria existentia, esset ens in actu: ergo non posset facere vnum per se cum forma, quia ex duobus entibus in actu non fit vnum per se: sed est absurdum quod non faciat vnum per se cum forma: ergo non existit propria existentia.

31 *Respondeo primo*, quod si hoc argumentum valeret, probaret, quod materia non posset etiam existere per existentiam formæ, quia sic existens esset ens in actu tam bene, quam si existeret propria existentia, & de forma, & materia existentibus eadem existentia verum est dicere quod sint duo entia in actu: ergo non possent facere vnum per se; quod autem existentia eorum sit vna aut duplex, est omnino impertinens, quantum ad hoc.

Respondeo secundo distinguendo antecedens: esset ens in actu, id est esset ens actu existens, concedo antecedens, esset ens in actu, id est ens actuatum forma physica informante, aut ens actuale completum, nego antecedens, & consequentiam, & distinguo eius probationem: ex duobus entibus actu existentibus, modo sint essentialiter incompleta, & vnum ex ipsis essentialiter ordinatum ad alterum, non potest fieri vnum per se, siue existant existentia diuersis, siue eadem existentia, nego probationem; alias certe non essent essentialiter incompleta: ex duobus entibus actu existentibus essentialiter completis, & non ordinatis per se ad se inuicem, non potest fieri vnum per se, concedo: materia autem, & forma sunt essentialiter incompleta, & ordinata ad se inuicem. Quod vero duo entia actu existentia etiam existentia diuersis possint facere vnum per se, patet manifeste, quia manus existit existentia diuersa ab existentia pedis, & tamen tam manus quàm pes concurrunt ad faciendum vnum per se hominem, & duæ partes aquæ totalis existunt existentia diuersis, & tamen concurrunt ad faciendam vnam per se aquam. Nec refert, quod hæc partes sint partes integrales & non essentielles. Nam quemadmodum duæ partes integrales existentes existentia diuersis concurrunt ad faciendum vnum per se integrale, ita duæ partes essentielles existentes existentia diuersis possunt concurrere ad faciendum vnum per se essentielle physicum, nec potest dari meo iudicio sufficiens ratio disparitatis.

32 *Dicitur*: existentia rei est vltimus actus rei: ergo quidquid existit, est vltimate completum, nec potest ulterius compleri, & consequenter si materia existit existentia propria, non potest compleri per formam, nec facere cum ipsa vnum per se.

Respondeo primo negando antecedens: tum quia reuera non est actus proprie loquendo, tum quia accidentia, quæ sunt actus aliquo modo substantia, adueniunt ipsi post existentiam, ut omnes fatentur.

Respondeo secundo, distinguendo antecedens, est vltimus actus metaphysicus rei, transeat, est vltimus actus physicus rei, nego antecedens, & similiter distinguo primum consequens: est vltimate completum metaphysice, ita ut nulla alia formalitas metaphysica adueniat rei post existentiam, transeat, est vltimate completum physice ita ut non possit actus informans physicus aduenire rei, nego consequentiam primam. Distinguo etiam secundum consequens: non potest compleri metaphysice per formam vllam aduenientem post existentiam, transeat; per formam physicam, nego secundam consequentiam.

33 *Confirmatur hoc*, quia manus, non obitante existentia, est per se coniungibilis cum aliis partibus corporis; & ipsa forma non obstat quod existat per propriam existentiam, potest coniungi per se cum materia, & completur ulterius per materiam: ergo similiter materia, quamuis existeret propria existentia, potest tamen ulterius coniungi & compleri per formam physicam. Et ex hoc ipso exemplo patet falsum esse quod dicunt Complutenses quæst. 5. m. 5. q. nepe repugnare quod dentur existentia parciales: nam

Duo enim
incompleta
possunt
facere
vnum ens
per se.

nam existentia capitis est existentia partialis, & existentia manus, ac cæterarum partium integralium hominis.

Confirmatur secundo, quia anima rationalis separata, & existens propria existentia (& idem est de quacumque forma substantiali, quæ conseruaretur à Deo absque materia, est quid physice incompletum, & non ponitur propterea directe in vlllo prædicamento: ergo quamuis materia esset existens propria existentia, adhuc esset physice incompletum quantum ad hoc, nec poneretur directe in prædicamento vlllo, quæ videtur mihi manifestissima instantia.

34. *Obiicies tertio*: si materia existeret propria existentia, illa existentia deberet esse in per se potentia ad existentiam formæ, & deberet posse recipere effectum formalem ab existentia formæ: sed neutrum dici potest; non primum, quia illa, quorum vnum est per se in potentia ad alterum, debent esse diuersæ rationis formaliter: sed illæ existentia non videntur esse formaliter diuersæ rationis, ergo neutra ex illis est in per se potentia ad alteram: non etiam secundum, quia nec materia, nec eius existentia existunt per existentiam formæ, ergo non recipiunt effectum formalem istius existentia, nam effectus formalis existentia est facere existens.

Respondeo negando minorem; ad cuius probationem pro prima parte dico illas duas existentias esse diuersæ rationis, quia vna petit essentialiter identificari formæ, & facere ipsam existentem, altera petit essentialiter identificari materiæ, & facere ipsam existentem, quod sufficit ad diuersitatem earum. Quod si etiam essent eiusdem rationis, adhuc posset vna esse in per se potentia ad alteram realiter loquendo, & iuxta hoc potest distinguimur objectionis: realiter loquendo, concedo, formaliter, nego; & similiter distinguo minorem & probationem eius pro prima parte. Ad probationem minoris pro secunda parte respondeo negando consequentiam, ad cuius probationem dico quod effectus formalis existentia respectu ipsius rei, cui identificatur, est facere illam rem existentem, non vero respectu alterius rei, cui coniungitur per unionem realem: quare cum sic uniatur materiæ, nec identificetur ipsi, effectus formalis ipsius respectu materiæ, non debet esse facere ipsam existentem, sed potius effectus ipsius est concurrere cum ipsa ad constituendum totum, & actuare seu cõplere eius existentiam in ordine ad constitutionem eius.

35. *Confirmatur* hæc responsio, quia ex coniunctione materiæ existentis cum forma existente non debet materia aut existentia eius existere per existentiam formæ magis, quam ex coniunctione substantia existentis cum accidente existente, substantia existere per existentiam accidentis, aut è contra: sed non obstante coniunctione substantia hominis, verbi gratia, cum accidente existente, homo non existit existentia istius accidentis, nec è contra, ergo nec materia existens debet existere per existentiam formæ, quamuis coniungatur cum ipsa.

Deinde quemcumque effectum formalem tribuit existentia accidentis subiecto, cui inhaeret, similem proportionaliter tribuit existentia formæ materiæ existenti; unde ut aduersariis demus quæ effectum tribuit existentia formæ existentia materiæ, petendum ab illis quem effectum tribuit existentia accidentis substantiæ, & statim apparebit, quam parum vrgeat hæc difficultas.

Rursus querendum ab illis, quem effectum tribuit existentia manus existentia corporis; & quod respondunt, poterit sufficere nobis.

36. *Obiicies quarto*. Non ponitur vlla mentio in definitionibus materiæ primæ assignatis à Philosopho de actu entitativo, nec quod materia habeat propriam existentiam: ergo non est dicendum quod sit actus entitativus, aut quod habeat propriam existentiam.

Respondeo negando antecedens, nam eo ipso, quo dicitur primum subiectum, datur intelligi quod sit substantia distincta rationis à forma, & quod sit prior forma, & ex hoc satis colligitur, quod habeat etiam propriam existentiam.

37. *Obiicies quinto*. Ens diuiditur in actum & potentiam: ergo per hoc quod aliquid sit pura potentia realis, quæ

uis nullum diceret actum; posset esse ens reale, & consequenter falsum est vnum ex fundamentis communibus nostræ conclusionis, nempe quod materia non posset esse ens reale, nisi esset actus entitativus, aut nisi diceret talem actum.

Respondeo negando suppositum primi consequentis, nimirum quod possit habere rationem potentia realis absque inclusione actus metaphysici, & absque eo quod posset existere propria existentia, & consequenter absque eo quod diceret actum entitativum.

Obiicies sexto ex Complutensibus quæst. 5. num. 55. existere est esse extra suas causas: ergo nihil potest existere, antequam causæ exerceant suas causalitates: sed non exercent suas causalitates antequam sit totum: ergo materia non existit priusquam sit totum, & consequenter non existit propria existentia, sed existentia totius, quæ est etiam existentia formæ.

Confirmatur: ad hoc ut effectus existat, non sufficit ut exerceatur vna causalitas, sed omnes causalitates exerceri debent: sed omnes causalitates non exercentur, antequam sit totum: ergo. Probat maiorem, quia existentia non definitur esse, quia res sit extra causam, sed extra causas: ergo non sufficit exerceri causalitatem vnius causæ, sed debent exerceri causalitates omnium, causarum. Fufius proponunt hanc objectionem *Complutenses*, tanquam secundum fundamentum sententia suæ asserentis materiam non existere propria existentia: sed ni fallor, tota vis consistit in hoc.

38. *Respondeo* ergo distinguendo consequens: antequam causæ omnes immediate concurrentes ad productionem rei, quæ existit, exerceant omnes causalitates requisitas ad productionem istius rei, concedo; antequam exerceant omnes causalitates respectu aliarum rerum, nego consequentiam. Similiter distinguo subsumptum, sed causæ producentes compositum non exercent omnes causalitates requisitas ad existentiam materiæ antequam sit compositum, nego; omnes causalitates requisitas ad ipsum compositum aut alias res, concedo subsumptum.

Ad confirmationem respondeo distinguendo maiorem eodem modo: omnes causalitates requisitæ ad productionem ipsiusmet effectus, concedo; requisitæ ad productionem aliarum rerum, nego maiorem. Distinguo etiã minorem: omnes causalitates requisitæ ad productionem materiæ, nego: ad productionem totius, transeat, & per similitudinem distinguo probationem istius maioris.

QVÆSTIO V.

Quomodo materia dependet quoad existentiam à forma, & an possit conseruari absque vlla forma.

40. *Q*uemadmodum effectus causæ efficientis, licet habeat existentiam distinctam ab existentia ipsius causæ efficientis, dependet tamen ita à causâ efficienti, ut non posset habere suam existentiam, nisi existeret causa efficiens aut conseruans ipsum: ita quamuis materia habeat existentiam distinctam ab existentia formæ substantialis, posset tamē dubitari, an ita dependeat in ordine ad habendam suam existentiam à forma, ut non posset habere existentiam, nisi existeret forma. Hoc ergo modo examinabimus quæstionem, & quidem in ordine ad potentiam non solum ordinariam ac connaturalem, sed etiam in ordine ad potentiam absolutam & extraordinariam Dei.

Prima sententia est quod materia ita absolute dependeat ab existentia formæ, ut neque de potentia absoluta possit conseruari absque aliqua forma substantiali. Hanc tenent omnes *Thomistæ* (quos impugnauimus quæstione præcedenti) citati à *Complutensibus quæst. 5.*

Secunda sententia est quod materia, licet habeat existentiam distinctam realiter à forma, dependet tamen connaturaliter ita à forma, tanquā à communicante sibi existentiam, ut licet absolute & simpliciter possit cõseruari de potentia absoluta absque omni forma substantiali; tamen hoc non possit fieri, quin Deus concursu particulari suppleat defectum influxus formæ; unde si solū haberet talem influxum ad conseruationem materiæ, qualē

habet de facto cum forma, & destrueret formam; desineret necessario materia: ita *Suarez disp. 15. Met. sect. 8. Fonseca 5. Met. c. 2. quest. 3. sect. 1. Molina 1. par. qu. 3. art. 3. disp. 2. & alij plures*

Tertia denique sententia est, materiam nullo modo dependere quoad existentiam suam ab vilo influxu formæ, atque ideo non solum eam posse conservari de potentia absoluta absque omni forma substantiali, sed etiam sic eam posse conservari absque vilo concursu particulari positivo Dei supplente concursum formæ. Hæc est *Doctoris 2. dist. 12. cum suis omnibus*, quem sequuntur etiam recentiores plurimi, & nominatim. *Aversa questione. 20 Philosophia sect. 10. Amic. tract. 5. questione 4. ac Arriaga disput. 2. sect. 6.*

CONCLUSIO I.

Materia
nequit
existere
absque
forma na-
turaliter.

41. *Materia nequit naturaliter existere absque aliqua forma substantiali.* Hæc est communissima omnium Petipariticorum.

*Probat*ur ab aliquibus, quia est incompletum quid essentialiter & physice, ergo nequit conservari naturaliter absque forma, quæ est eius complementum.

Contra, quia manus potest conservari absque aliis partibus, & corpus organicum absque anima, & ipsa anima absque corpore, non obstante quod sint incompleta entia, ergo similiter dici posset de materia non obstante incompletione sua.

*Probat*ur secundo ab aliis, quia esset inutilis, ergo deberet connaturaliter destrui, si non poneretur in ipsa aliqua forma, sicut animæ brutorum separatæ, & formæ substantiales omnes non debent conservari connaturaliter destructa earum unione ad subiectum, quia essent inutiles.

Materia
absque
vlla for-
ma esset
utilis.

Hæc etiam probatio non sufficit, negatur enim antecedens, nam esset utilis ad hoc ut agens creatum applicatū ipsi posset in ipso producere formam substantialem.

42. *Probat*ur ergo melius: si posset esse, naturaliter absque vlla forma, maxime per actionem alicuius causæ secundæ naturalis: sed non potest id contingere, ergo.

*Probat*ur minor, quia agens naturale non intendit per se destructionem vllius rei, sed eatenus destruit, quatenus intendit producere aliquem alium effectum quem absque destructione nequirit producere: ergo nequit destruere compositum substantiale, aut separare formam substantialem à materia, quin eius loco producat aliam formam substantialem in illa materia, & consequenter nequit separare materiam ab omni forma substantiali.

*Impugn*at hæc ratione *Arriaga* supra: quia causæ naturales quandoque destrunt aliquas formas accidentales absque productione alterius incompatibilis cum ipsis, ut patet in luce aut lumine, quod destruitur absque vlla forma impassibili: ergo similiter posset destrui forma substantialis aliqua absque forma incompatibili.

Contra: Lux non destruitur per actionem positivam, sed per subtractionem concursus positivi, & illa ipsa subtractio non fit nisi per destructionem causæ conservatiuæ, aut per remotionem eius, quæ remotio non fit nisi per productionem alicuius formæ positivæ: sed formæ substantiales omnes habent causas naturaliter conservatiuas semper applicatas, nec propterea conservatio earum naturaliter subtrahi potest, nisi tollantur dispositiones positivæ illarum; hæc autem tolli nequeunt nisi per introductionem formarum oppositarum.

43. *Confirm*atur hoc, quia omne compositum substantiale habet virtutem productivam accidentium sibi connaturalium, & est sibi sufficienter semper applicatum in ordine ad hoc: ergo nisi aliquod agens aliud adsit, quod per actionem positivam producat alias dispositiones incompatibiles, semper manebunt illa accidentia, & consequenter semper manebit illud compositum ac forma eius in materia eius, quia semper debet manere quamdiu manent illa accidentia, quæ sunt dispositiones naturaliter conservatiuæ eius.

Itaque existimo esse certum, quod nulla causa naturalis possit destruere aliquam formam præsertim permanentem, cum necessario produci debeat, aut per illud ipsū

agens, aut per aliud aliqua forma positiva incompatibilis cum forma destruenda, aut cum aliqua forma ad conservationem eius requisita: cuius ratio à priori est, quod causa naturalis applicata passo, naturaliter, & consequenter necessario agere debet quidquid potest: ergo si produxit aut conservavit formam substantialem, aut accidentalem in hoc instanti aut tempore in hoc subiecto, debet etiam illam producere, aut conservare pro quocumque alio tempore, pro quo est eodem modo applicata: sed semper erit eodem modo applicata, nisi producat alia forma incompatibilis aut cum illa forma, aut cum forma aliqua ad ipsam prærequisita: ergo nunquam potest destrui forma aliqua absque productione alterius formæ.

Nulla
forma de-
struitur
à causa
naturali
absque
produ-
ctione al-
terius for-
mæ.

44. *Melius impugnari posset prædicta probatio*, quia quamvis causa naturalis non intenderet per se destructionem, & propterea deberet produci aliqua forma, ut alia forma destrueretur; tamen adhuc posset contingere, quod aliqua causa naturalis, verbi gratia ignis, intendens producere formam suam introduceret dispositiones ad hoc necessarias & expelleret dispositiones oppositas repectas, verbi gratia in aqua aut alio corpore, donec veniret ad aliquem terminum, in quo istæ dispositiones essent expulsæ quantum ad gradum, qui requireretur ad conservationem formæ substantialis, non tamen essent introductæ dispositiones in gradu sufficienti ad introductionem formæ ignis: in hoc casu, qui est non solum possibilis, sed talis, ut non possit cognosci, quin naturaliter sæpe occurrat, destrueretur forma aquæ, & non introduceretur forma ignis, quia forma aquæ debet destrui statim ac desinunt qualitates, conservatiuæ eius in gradu in quo sunt necessariae ad eius conservationem, forma & ignis non debet introduci, antequam introducantur dispositiones ad ipsam in gradu requisito.

Et si dicat, si forma ignis non debeat tum produci, aliquam aliam formam debere. *Contra* est, quod nulla alia forma debet produci, nisi sit producta dispositio sufficiens ad illam; nemo autem scire potest, an in casu proposito introducatur dispositio sufficiens ad vllam formam producendam.

45. Hæc impugnatio non facile tollitur ab illis, qui ponunt dispositiones positivas requiri ad formam substantialem in ipsamet materia prima, & hanc absque talibus, non posse naturaliter recipere formam substantialem. Verum in nostra sententia, qui subiectamus accidentia absoluta, & dispositiva in toto composito, & asserimus dari resolutionem vsque ad materiam primam in generatione & corruptione totali, non habet difficultatem, quia pro quocumque instanti materia denudatur forma substantialis, quæ afficitur, est sufficienter disposita ad receptionem alterius formæ cuiuscumque, quæ possit produci ab agentibus circumstantibus, & hinc necessario debet tum recipere aliquam formam.

Et hinc probatur secundo conclusio, Materia prima non potest poni naturaliter, nisi in aliquo loco sit applicata taliter causæ alicui, quæ possit in ipsa introducere formam, & sit ad hoc ex se determinata, nisi poneretur impedimentum: ergo necessario deberet naturaliter loquendo in materia produci ab aliqua causa aliqua forma substantialis, nisi ponatur impedimentum: sed nullum impedimentum naturale esse potest nisi quod sit informata aliqua forma substantiāli incompatibili cū forma, quæ produci deberet: ergo non potest esse naturaliter absque aliqua forma substantiali.

46. *Obiici*es primo: Materia fuit in initio creationis absque vlla forma: sed tum fuit naturaliter producta: ergo naturaliter potest esse absque vlla forma. *Probat*ur maior tum autoritate *S. Augustini*, qui ita videtur sentire, tum ex illo *Gen. 1.* Terra erat inanis, & vacua, id est, materia prima erat absque vlla forma.

Respondeo primo, negando maiorem, ad cuius probationem, nego *August.* dicere quod materia prima fuerit vnquam absque aliqua forma pro vilo instanti teporis, sed ad summum vult quod fuerit prius natura producta, quæ esset producta vlla forma Locus etiā ille scripturæ

NON

non debet intelligi de materia prima, quæ non vocatur terra, sed de propria terra, quæ erat tunc inanis & vacua, quia erat absque arboribus & plantis.

Respondeo secundo, conclusionem intelligendam de materia prima, quantum ad actiones causarum secundarum, ex suppositione productionis eius sub formis, non vero quantum ad actionem causæ primæ, quæ produceretur primo, antequam informaretur vlla forma.

56. Obiicit secundo, Ideo anima rationalis potest conservari naturaliter absque omni corpore, quia est subsistens substantia partiali: sed materia est quid similiter subsistens, ergo potest naturaliter separari absque omni forma.

Respondeo, quidquid sit de minori, distinguo maiorem: ideo partialiter, transeat ideo totaliter, nego maiorem & consequentiam: & ratio disparitatis est, quod agens separans animam à corpore non sit naturaliter determinatum ad coniungendum aliud corpus cum ipsa, & propterea bene potest naturaliter existere absque corpore; sed agens separans formam substantialem à materia est determinatum ad producendam aliam formam in illa, vel aliquod aliud agens tum applicatum, & consequenter quando separatur vna forma, aduenit alia, & hinc corruptio vnius dicitur generatio alterius.

57. Obiicit tertio, Agens separans animam à corpore, non est determinatum ad producendam aliam formam substantialem in corpore illo, licet corpus illud sit quid incompletum physice, & in per se potentia ad aliquam formam; ergo quamvis materia sit per se potentia ad formam substantialem, agens separans vnam formam non debet esse determinatum ad producendam aliam formam.

Respondeo negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quod quando separatur anima à corpore, corpus non reperitur dispositum sufficienter ad vllam aliam formam, & propterea agens non debet nec potest esse determinatum ad producendam vllam aliam formam in illo; sed quando separaretur omnis forma substantialis à materia, esset tum disposita optime ad recipiendum aliquam aliam formam, & consequenter deberet alia produci.

CONCLUSIO II.

58. Forma non habet vllum influxum positivum physicum in materiam aut eius existentiam, & consequenter si desineret forma, & non produceretur alia forma in ipsa, conservaretur in rerum natura per vllum ipsum influxum, quo conservaretur simul cum forma absque alio concursu positivo suppleto defectum influxus forme. Hæc est iuxta tertiam sententiam contra secundam.

Probari potest ex Arriaga disp. 2. sect. 6. quia huiusmodi dependentia esset dependentia à priori; sed talis solum datur ad causam efficientem & materiale, ergo non datur in materia ad formam. Hæc probatio non valet, quia in minori manifeste petitur principium, & eam aduersarij tam bene negant, quam ipsammet conclusionem.

Probat ergo melius primo, quia materia præsupponitur formæ tanquam causæ materialis, ex cuius potentia forma realiter educitur, & à cuius influxu reali depêdet: ergo materia non potest dependere ab vlllo influxu reali formæ. Antecedens supponitur hîc ab omnibus etiam aduersariis, & probabitur disputatione sequenti. Consequentia probatur, quia non datur mutua causalitas inter causas realiter influentes, vt ostendimus libro secundo.

59. Probat secundum impugnando præcipuum fundamentum, ex quo posset colligi dependentia aliqua in materia ad formam: ideo colligeretur potissimum, quod materia dependeat à forma, quia materia nequit naturaliter esse absque aliqua, & non videtur quod semper deberet coniungi cum forma, nisi quia dependeret à forma: sed hæc ratio non probat, quod dependeat ab influxu aliquo reali formæ; ergo non est dicendum quod sic dependeat. Probat minor, tum quia non potest substantia esse naturaliter absque aliqua forma accidentali, & tamen non dependet ab influxu aliquo reali vllius formæ accidentalis, saltem directe & per se (quod addo, quia dependet ab accidentibus indirecte, quatenus impediunt dispositiones contrarias suæ formæ, & deferentes ad introducendam formam aliam substantialem incompatibilem) tum

& præcipue, quia potest ostendi ratio, unde proveniat illa necessaria connexio absque tali influxu, aut dependentia: ergo ex illa non colligitur sufficienter illa dependentia. Probat vltimum antecedens, quia eo ipso quo materia nō potest esse, nisi vbi adest aliqua causa effectiva determinata, aut ad conservandam, aut ad producendam de nouo aliquam formam substantialem in materia, quamvis materia nō dependeret ab vlla forma, adhuc deberet necessario habere aliquam formam substantialem: sed sic est, quod materia nunquā ponitur, nec poni potest naturaliter, nisi in loco, vbi est aliqua causa naturaliter determinata, aut ad conservandam, aut ad producendam formam substantialem aliquā in illa: ergo datur alia causa necessaria illius connexionis absque dependentia à forma.

60. Et sane hæc ratio necessariæ connexionis materiæ & formæ præferenda videtur illi, quam assignat *Mastrius hic q. 3. a. 1.* refundens illam connexionem in ordinem vniuersi, qui etiam male asserit coexistentiam necessariam formæ oriri aqualiter ex parte materiæ, quia hæc est, quæ essentialiter petit cōpleri; est potentia quæ petit actuari; est sic imperfecta, vt petat perfici. Nam corpus, quod est altera hominis, pars, est per se potentia, & quid imperfectum, & tamen non necessario coniungitur semper cum anima: ergo idem posset dici de materia.

Confirmatur: si non posset poni substantia aqua, nisi in loco, vbi esset aliqua causa determinata ad producendum calorem in ipsa, aqua necessario, naturaliter loquendo, haberet semper calorem, nec posset esse naturaliter absque calore, & tamen nō dependeret ab aliquo influxu caloris cum omnis influxus caloris potius tēdat in corruptionem, quā in conservationem aquæ: ergo potest ex necessaria applicatione materiæ ad causam efficientem determinatā ad producendam formam aliquam oriri necessaria connexio materiæ cum forma absque influxu aliquo formæ in materiā, aut dependentia aliqua materiæ ab ipsa forma.

61. Probat tertio, quia, si esset dependentia materiæ à forma, tanquam ab influente physice in illā, non crearetur materia: sed hoc est contra omnes, ergo non est talis dependentia. Probat maior, quia sicut est contra creationem formæ, quod producat cum dependentia ab influxu physico materiæ: ita videtur esse contra creationem materiæ, quod producat cum dependentia ab influxu physico formæ, seu quod idem est, sicut est contra creationis rationem productio ex aliquo subiecto, quia debet esse totaliter ex nihilo, ita videtur esse contra rationem eius quod sit ex aliquo formæ; quia non magis debet esse ex nihilo subiecti quā ex nihilo formæ, hoc est, æque debet esse cum independentia à causa tam materiali, quam formali realiter influente.

62. Obiicit: Ideo colligitur formam dependere à materia, quia nequit esse absque illa naturaliter loquendo; ergo si materia nequeat esse naturaliter absque forma, dependet ab illa. *Confirmatur*: materia ordinatur ita essentialiter ad formam, vt si repugnaret forma, repugnaret etiam materia: ergo dependet à forma.

Confirmatur secundo, quia si materia non dependet à forma, forma autem dependet à materia, sequitur quod materia sit perfectior quam forma contra omnes.

Respondeo negando antecedens in sensu præciso: non enim ideo tantum, sed quia forma non creatur, sed producit per agens creatum non potens ipsam producere nisi cum dependentia à subiecto, quam dependentiam si non haberet, non esset vlla ratio, cur non produceretur absque subiecto à causa naturaliter agente & nato producere ipsam.

Confirmatur hæc responsio, quia quamvis substantia nequit esse naturaliter absque accidentali aliqua forma, sicut nec forma accidentalis potest esse absque substantia, tamen non asseritur dependentia substantiæ ab influxu formæ accidentalis, sicut asseritur dependentia formæ accidentalis ab influxu substantiæ: ergo quamvis materia nequeat esse absque forma substantiali, sicut forma illa nequit esse absque materia, non tamen æque debet asseri dependentia materiæ à forma substantiali, sicut asseritur dependentia formæ substantialis à materia.

Forma non habet vllum influxum in materiam.

Ad primam confirmationem, nego consequentiam in sensu conclusionis, quia potentia visiva ordinatur essentialiter ad visionem, & tamen non dependet ab influxu visionis, imo naturaliter conservatur absque visione, & idem est de potentia intellectiva respectu intellectus, & de potentia effectiva respectu effectus: ergo idem dicendum in proposito.

Ad secundam etiam confirmationem, nego sequelam, quia quantitas est imperfectior qualitate, & tamen est independentis à qualitate; hæc vero est dependens ab illa, Verum quidem est, quod quantum ad independentiam, materia sit perfectior; sed quantum ad actiuitatem, forma est longe perfectior, & propterea simpliciter dicenda est forma perfectior, nisi quis velit dicere, quod habeat se sicut excedens & excessum.

CONCLUSIO III.

63. *Deus potest conservare materiam absque omni forma substantiali.* Hæc est authorum secundæ & tertiæ sententiæ contra primam sententiam. Probatur primo ex dictis, quia materia habet propriam existentiam, & est independentis ab omni influxu formæ, nec dicit ordinem essentiali ad formam: ergo nihil impedit, quo minus conservari possit absque omni forma.

Confirmatur: quia non potest assignari vlla ratio tam necessaria connexionis inter formam, & materiam, quin possit de potentia absoluta conservari absque omni forma, præsertim cum certum sit de potentia absoluta posse multa separari, quæ naturaliter separari non possunt.

Confirmatur secundo: quia maior est dependentia formæ accidentalis à subiecto, quam materiæ à forma substantiali: sed forma accidentalis potest separatim ab omni subiecto conservari, ut patet in accidentibus Eucharisticis: ergo & similiter materia potest conservari absque omni forma substantiali.

Confirmatur tertia soluendo rationes necessariae connexionis earum quas communiter assignare solent aduersarii. Dicunt ergo aliqui rationem esse quod materia existat existentia formæ. Sed præterquam quod hoc falsum est, ut patet ex dictis, adhuc non sequitur intentum ipsorum, si esset verum: quia res nata existere per vnā existentiam naturaliter, potest supernaturaliter sine illa existentia existere per aliam existentiam, & hoc maxime censendum est verum in sententiis aduersariorum, quia existimant quod humanitas Christi, quæ nata erat ex se existere per propriam, de facto tamen existit sine illa existentia per existentiam Verbi. In nostra quidē sententia implicat ut res aliqua existat sine propria existentia, quia propria existentia secundum nos non distinguitur realiter à re existente, nihil autem potest existere sine omni eo, quod ipsi realiter identificatur, & propterea etiam implicat in nostra sententia, ut materia existat per existentiam formæ, aut per existentiam communicatam à forma.

64. *Alii dicunt* rationem esse quod materia dependeat à forma in genere causæ formalis: quod enim sic dependet ab alio, nequit etiam supernaturaliter esse sine illo, hinc enim corpus nequit esse sine forma.

Sed contra, quia materia nō depēdet à forma, ut à causa formali intrinseca, sed ut à causa formali extrinseca, neque enim forma est de essentia materiæ aut pars intrinseca eius: sed q. depēdet ab alio ut à causa formali extrinseca præsertim si sit absolutum, potest esse sine illo, nisi ostēdatur alia ratio connexionis necessariae præter hoc q. est esse causæ formale extrinsecæ, ut patet manifeste; nā subiectū accidentiū depēdet ab ipsis ut à causa formali extrinseca communicationibus ipsi effectū suū formale, & tamen certū est posse esse subiectū sine aliquibus accidentibus, paries. n. potest esse sine albedine, à qua quoad esse albi depēdet, tanquā à causa formali. Illud autem de corpore nō est ad rem, quia depēdet à forma, ut à causa formali intrinseca.

65. *Et si dicas* subiectum non dependere ab accidentibus, ut à causa formali per se, sed ut à causa formali per accidens, & propterea posse esse sine ipsis.

Contra, quia non propterea potest esse sine ipsis quod sint causæ formales per accidens, sed quod non sint causæ formales intrinsecæ, nam si essent intrinsecæ, quan-

tumuis non essent nisi causæ formales per accidens, adhuc non posset esse sine ipsis, unde album, ut album, non potest esse sine albedine, quæ est causa formalis intrinseca ipsius, etiam de potentia absoluta.

Confirmatur hæc responsio: Non minus repugnat Deum posse conservare rem, quæ dependet ab alia re in genere causæ materialis sine illa, quam rem, quæ dependet ab alia in genere causæ formalis, sine illa; & hinc quemadmodum nequit conservare corpus sine forma substantiali, quæ est causa formalis eius, ita nequit conservare ipsum sine materia, quæ est causa materialis eius: sed Deus potest conservare rem sine causa materiali eius extrinseca, quæ scilicet non est pars intrinseca eius, siue sit causa materialis per se, siue per accidens eius; ergo posset conservare rem sine causa formali extrinseca eius; siue sit per se, siue per accidens. Probatur minor, quia potest conservare formam substantialem sine materia, ut fatentur aduersarii, & accidentia sine subiecto, ut patet de fide.

Confirmatur secundo: quia magis dependet quodcumque accidens vnum numero à suo subiecto, quam quacumque materia vna numero à quacumque forma, ut patet ex eo quod naturaliter materia eadem numero posset esse sine quacumque forma vna numero determinate, vnum autem numero accidens afficiens vnum numero subiectum, nequeat esse sine illo eodem subiecto: sed accidentia absoluta dependentia à subiecto, ut naturaliter nequeant esse sine ipso determinate, possent esse supernaturaliter sine ipso aut vllō alio; ergo materia potest esse supernaturaliter sine omni forma.

66. *Denique alij dicunt* materiam dependere à forma ut res modificata dependet à modo: sed res modificata, licet sit quid absolutum & prius modo, nec dependeat à modo, tanquam à causa materiali aut formali intrinseca; tamen non potest esse sine aliquo modo: ergo similiter materia non potest esse sine aliqua forma, quamuis sit prior forma, & non dependeat à forma ut à causa materiali aut formali intrinseca: quod autē res modificata nequeat esse sine modo, patet, quia natura singularis completa nequit esse sine substantia, quæ est modus eius, nulla res creata potest esse sine vbi, nullum corpus sine figura.

Sed contra, quia maior huius responsionis est manifeste falsa, nam forma non est modus materiæ, modus enim secundum aduersarios nequit esse sine re modificata, neque enim substantia potest esse sine re substante: neque figura sine re figurata, neque vbi sine re vbicata; forma vero potest esse sine materia vlla secundum aduersarios: ergo non est modus materiæ.

Confirmatur, quia quando dicitur quod materia se habet ad formā, ut res modificata ad modū, vel intelligitur quod materia habeat se instar rei modificatæ, & forma instar modi; & præterquā quod sit iam ostensū hoc esse falsum, adhuc militat contra aduersarios, quia magis difficile est conservare modum sine modificato, quā modificatū sine modo, ut omnes fateri debent, & patet inductione: ergo si forma, quæ est instar modi, potest conservari sine materia, quæ est instar modificati, poterit materia conservari sine forma. Vel intelligitur quod materia sit modus seu instar modi, & forma instar rei modificatæ, & hoc nequit esse, tum quia materia est subiectū formæ, & per formam determinatur; tum etiam quia idē numero modus non potest esse sine eadē numero re modificata, ut eadem numero re figura sine eadem numero res figurata, & idē numero vbi sine eodem numero vbicata; materia autē eadem numero potest esse sine eadem numero forma, quam semel habet. Vel intelligitur denique quod vtrique sit modus alterius, & tum quemadmodum materia nequit esse sine forma, ita nec forma sine materia, quod est contra aduersarios; & præterea si materia non sit modus formæ, nec forma materiæ, ut iā ostendimus, sequitur manifeste quod altera alterius non sit modus.

67. *Ioannes à S. Thom.* dat pro ratione necessariae connexionis, quod existentia sit actus secundus, & consequenter quod essentialiter præsupponat actum primum: sed talem non habet materia absque forma: ergo nec existentiam potest habere absque forma.

Respondeo

Potest
conservari
materia
absque vl-
la forma
substantia-
li.

Soluitur
prima ra-
tio neces-
sariae con-
nexionis.

Forma
non est
modus
materiæ.
Soluitur
quarta ra-
tio.

Respondeo existentiam non esse actum secundum, nisi quatenus est actus, qui non est essentialis, quod etiam hic ipse auctor concedere videtur. Hoc ergo supposito, concedo maiorem, nempe quod existentia sit actus secundus, id est non essentialis, & consequenter præsupponens actum primum, id est essentialem; nego autem minorem: habet enim materia ex se essentialiam suam metaphysicam independentem ab omni forma, quod videtur evidens; & hæc essentialia est actus primus sufficiens ad existentiam, quæ non præsupponit necessario alium actum, quæ essentialia; quod si quis negaret essentialiam rei esse actum primum, potest etiam negare existentiam esse actum, aut saltem negare ipsam esse actum secundum, quia eatenus habet rationem actus secundum, quatenus præsupponit primum aliquid actum: sed nullum alium actum præsupponit præter essentialiam, unde si essentialia non sit actus, existentia non erit actus secundus; quamvis autem essentialia materia esset actus primus, adhuc maxime distingueretur materia à forma, & ab actu formali physico, quia huiusmodi actus præsupponit materiam, & in ea recipitur, & est radix distinctionis specificæ rerum materialium constantium, materia eiusdem speciei.

Cæteras rationes necessariæ connexionis ipsarum ponemus in objectionibus.

68. *Probat*ur secundo conclusio argumento communi Scotistarum desumpto ex ipso Scoto variis locis. Quodcumque absolutum prius natura, quam aliud absolutum distinctum realiter ab ipso, potest absque contradictione esse ac conservari absque illo alio absoluto posteriori: sed materia est aliquid absolutum, cum sit substantia, & est prior quacunque forma materiali substantiali, saltem natura, & distinguitur realiter à quacunque tali forma, ergo absque contradictione potest esse absque quacunque forma substantiali, & etiam pari ratione absque quacunque forma accidentali absoluta. Maior videtur evidens, quia si sit quid absolutum, non potest dicere ordinem actuale ad aliud necessarium, nisi ad causas requisitas ad ponendum ipsum in esse; in hoc enim consistit ratio abolitionis eius, & non potest habere pro tali causa aliquid posterius, ut est evidens, quia omnis causa, secundum quod causat, debet esse prius, saltem naturam, quam effectus sic, ut si causet realiter, debeat esse existens realiter; si intentionaliter causet, pro ut causat finis, debeat esse prius intentione, quod si non dicat ordinem actuale ad aliud, non est actualiter connexum cum ipso necessario: ergo potest separari ab ipso, saltem per divinam potentiam.

Abolutum prius alio potest esse absque illo explicatur.

Instantia contra illud axiomam.

69. *Contra* tamen hanc maiorem aduersarii proponunt aliquas instantias, quas hic ponam, ut ex earum solutione magis appareat veritas istius maioris. Dicunt ergo, substantiam singularem esse quid absolutum distinctum realiter à quacunque subsistentia, quæ etiam est quid absolutum; sed nequit conservari absque aliqua subsistentia.

Deinde materia & forma unitæ sunt priores toto composito, quod est quid absolutum, & tamen nequeunt absque illo conservari. *Rursus* actio est prior effectu, sed nequit conservari absque effectu. *Quarto* quantitas est prior figura, & tamen non potest esse absque aliqua figura. *Quinto* substantia est prior ubi, sed nequit esse absque aliquo ubi.

Solutur prima de substantia.

Respondeo primo, falsum esse, quod substantia sit quid absolutum, ut videbitur in Metaphysica.

Respondeo secundo, si sit quid absolutum, posse naturam singularem conservari sine ipsa.

Respondeo tertio, si non possit natura singularis conservari sine aliqua subsistentia, adhuc veram esse maiorem in sensu Scoti, nam sensus eius potest dici esse, quod absolutum prius possit esse sine posteriori, nisi posterius sequatur ab ipso per emanationem sine actione aliqua particulari distincta, ac terminata ad illud posterius: si autem substantia sit talis, ut nequeat natura separari ab aliqua subsistentia, tum debet necessario sequi per emanationem aliqua subsistentia à natura, nisi ponatur in natura unio ad aliam subsistentiam, ut contingit in Incarnatione: at forma non sequitur per emanationem à materia, quandoquidem requirit actionem aliquam novam causam educentis: ergo quamvis substantia non possit conservari absque subsistentia, adhuc materia posset conservari absque forma.

70. *Ad secundam dico*, quod materia & forma, ut unita, non sunt quid absolutum, quia dicunt formaliter ut solvitur sic unionem, quæ est respectus: unde ex hoc, quod non possint esse ut sic absque toto, non sequitur quin absolutum prius possit esse absque posteriori absoluto. Adde ulterius, vel unionem esse causalitatem, qua producitur ipsum totum, & consequenter esse respectum actuale ad totum, quod non competit uni absoluto respectu alterius posterioris; vel certe ad eam sequi causalitatem talem per emanationem, quod etiam non convenit absoluto priori respectu posterioris. Adde præterea aliquos Scotistas tenere, quod possint materia & forma unita conservari de potentia absoluta absque toto, quorum sententia impugnanda esset, ut valeret hæc replica.

Solutur tertia de actione.

71. *Ad tertiam dico* actionem esse respectum, & consequenter, quamvis conservari nequeat absque termino, quem essentialiter respicit, idem non sequi de uno absoluto priori respectu alterius absoluti, quem non potest essentialiter respicere.

Sed dices: quemadmodum aliquod respectum prius alio realiter distincto non potest conservari sine illo, quare non possit aliquod etiam absolutum prius habere tam necessariam connexionem cum aliquo posteriori, ut non possit conservari sine illo posteriori?

Respondeo rationem esse, quia respectum actuale ex eo, quod tale respectum, dicit essentialiter ordinem actuale ad aliud, seu potius est ordo essentialis ad illud, & consequenter nequit esse sine illo: sed absolutum nequit esse talis ordo, neque dicere talem ordinem, quia aliàs non esset absolutum.

Confirmatur hoc, quia omne respectum præsupponit extremam, nisi sit essentialiter positio extremorum, & propterea nequit esse ullum respectum sine extremis: ergo cum materia non præsupponat formam, nec sit positio formæ, bene potest esse sine forma.

Solutur quarta de figura.

72. *Ad quartam dico*, quod quantitas posset forte redigi supernaturaliter ad punctum, & in tali casu non haberet ullam figuram, atque adeo exemplum eius non est ad rem; quod si non posset, non præiudicat maiori præmissæ, quia figura non est quid absolutum posterius quantitate: & ratio quare non possit poni quantitas absque figura, est, quia figura consistit in dispositione tali, vel tali partium extra se invicem positarum, non potest autem esse res habens partes extra se invicem sine eo, quod illæ partes sint extra se invicem hoc vel illo modo, quia non potest habere illas, nisi aliquo modo, ut est evidens; talis autem ratio connexionis cum aliqua forma non reperitur in materia.

Ad quintam de ubi, dico primo, quod non sit quid absolutum, sed respectum; unde instantia non est ad rem.

Dico secundo, quod res posset esse absque ullo ubi, scilicet si poneretur unica res sola absque alia re, ut suo loco dicemus; si autem ponatur cum aliis rebus, necessario debet habere vel distantiam aliquam ab illis, vel indistantiam, & hoc ipso habebit ubi aliquod. Quod si etiam tenenda esset sententia recentiorum multorum, quod non posset poni res absque aliquo ubi, id propterea accideret, quia deberet poni in aliqua parte spatij imaginarij, quia implicaret quod esset, nisi in tali aliqua parte, unde deberet necessario habere ubi, per quod in tali parte potius, quam in alia poneretur. At neque huiusmodi etiam ratio necessariæ connexionis reperitur ex parte materiæ, & alicuius formæ, etiam indeterminate: ergo.

Solutur quinta de ubi.

Obiicies primo: sequeretur quod materia esset in actu, & non esset in actu, sed hoc implicat: ergo implicat eam separari ab omni forma. Probat sequela maioris, quia esset in actu, quandoquidem actu existeret, ut supponitur; & non esset, quia non haberet formam, à qua haberet actu existere.

Respondeo negando sequelam pro secunda parte, ad cuius probationem dico, quod licet non haberet formam physicam substantialem, haberet tamen formam metaphysicam, & existentiam, quod sufficit, ut actu existeret; neque enim à forma physica debet habere res actu existere, aliàs Angeli non existeret actu, nec cæli in sententia, quæ tenet

tenet eos non constare materia & forma. Itaque materia esset actu, id est actu existeret sine actu formali physico & substantiali, quæ est forma; non autem esset actu sine actu existentia & entitatio, & sine actu metaphysico, quæ est differentia metaphysica eius.

74. *Dices cum Complutensibus*: ordo essentia distinguitur realiter ab ordine existentia, & etiam est prior illo indispensabiliter: sed forma est actus pertinens ad ordinem essentia ergo prior debet esse forma in materia, quæ existentia, & consequenter nequit materia existere sine forma. Probat minor, quia materia ex se non habet actum etiam entitatum spectantem ad ordinem essentia: ergo sola forma est actus eius ad ordinem essentia spectans. *Confirmant primo*, quia materia prima inter omnia creata habet esse ex se maxime potentiale, & proinde nihil actualitatis includit: sed existentia est maxima actualitas, & nihil fere includens potentialitatis: ergo ut materia redatur proportionata ad recipiendam hanc actualitatem, debet mediari forma substantialis, & specificatio ab ea desumpta, quæ aliquid potentialitatis, & aliquid actualitatis habet; non enim ad maximam actualitatem nisi per inferiorem, neque ad actum ultimum nisi per intermedium, & gradatim deueniri potest.

Confirmant secundo: ideo essentia diuina, ut habet rationem speciei intelligibilis, nequit uniri intellectui beatorum, nisi hic prius actuetur lumine gloriæ, quia intellectus creatus in genere intelligibili est pura potentia, & essentia diuina ut habet rationem speciei intelligibilis, est perfectissimus actus, & proinde, ut proportionetur illi, debet disponi per lumen gloriæ, quod & diuinum ordinem attingit, & habet actualitatem admixtam potentialitati: ergo materia prima similiter debet proportionari ad actualitatem existentia per formam substantialem.

75. *Respondeo primo* negando maiorem, cuius rationem dabimus in Metaphysica.

Respondeo secundo distinguendo minorem: forma est pertinens ad ordinem essentia materia, tanquam quid intrinsecum ipsi, nego minorem; est pertinens ad ordinem essentia compositi, & est pertinens etiam ad essentiam materia tanquam perfectiui physicum extrinsecum eius, concedo minorem, & nego consequentiam. Ad probationem minoris nego antecedens, materia enim habet suam essentia propria distincta à forma, est enim potentia pura secundum omnes, est susceptiuum formæ, est pars materialis compositi: nec hæc habet à forma ullo modo, ut est euidentis.

Ad primam confirmationem distinguendo maiorem: est maxime potentiale physice, & nihil actualitatis physice, hoc est nullam formam physicam includens, concedo maiorem; est maxime potentiale metaphysice, & nihil actualitatis metaphysice, hoc est nullam differentiam metaphysicam includens, nego maiorem. Ens enim incompletum ut sic, abstractum ab omnibus entibus incompletis, est magis potentiale metaphysice, & minus habens actualitatis metaphysice quam materia. Data autem minori nego consequentiam: sufficienter enim proportionatur ad existentiam seipsa. Ad probationem consequentia dico, ad maximam actualitatem posse deueniri absque inferiori actualitate, nisi inferior sit necessario prærequisita, & ad ultimum actum posse perueniri absque intermedio nisi intermedium sit necessario prærequisitus: negamus autem actualitatem formæ necessario prærequiri ad actualitatem existentia, in ordine saltem ad potentiam absolutam.

Ad secundam confirmationem nego suppositum antecedentis, nimirum quod necessario requiratur lumen gloriæ, quod sit qualitas inherens intellectui ad videndum Deum sic, ut de potentia absoluta non possit videri absque tali lumine, de quo suo loco. Adde, illud de summa potentialitate intellectus in genere intelligibili, & summa actualitate essentia diuina, ut habet rationem speciei intelligibilis, & actualitate luminis admixta potentia, esse verba quibus cooperitur veritas realis; & mihi certum est intellectum habere in genere intelligibili multum actualitatis, quandoquidem habet virtutem receptiuam cuiuscumque intellectus creatæ virtutis etiam actiua: sed de hoc in Theologia.

76. *Obiicies secundo* sequeretur, quod materia esset ali-

cuius speciei, quidquid in existit à parte rei, debet esse alicuius speciei; & quod non esset alicuius speciei, quandoquidem non haberet formam, quia sola forma est, quæ dat speciem.

Respondeo concedendo sequela pro prima parte, & negando eam pro secunda, & distinguendo eius probationem: forma physica, nego; forma physica vel metaphysica, transeat. In tali autem casu, quævis materia non haberet formam physicam, haberet tamen metaphysicam, quæ nihil aliud est, quam differentia metaphysica contrahens rationes superiores inclusas in materia prima, quibus convenit cum aliis rebus ad esse materie primæ. Quod autem forma physica non sit sola, quæ dat speciem rebus distinctæ speciei, manifeste patet, quia Angeli sunt distinctæ speciei tum inter se, tum ab aliis rebus, & tamen non includunt formam physicam: & in sententia etiam probabilis, cuius veritas non depedit ab hac difficultate, Celi non componuntur ex materia & forma substantiali, nec consequenter ea includunt, & tamen distinguuntur specie ab aliis rebus; imo in sententia aduersariorum materie celestis & sublunaris distinguuntur specie inter se, quæ tamen distinctio non provenit à formis rerum celestium & sublunarium, quia si ex diversitate specifica formarum esset distinctio specifica in materiis, quas informarent, tum materie hominis & bruti distingueretur specie, quæ ipsi non affirmant. Et si dicatur, quod non distinguatur specie proprie loquendo, quævis id esset verum, non faceret ad rem, quia tum dicere possemus ad obiectionem primariam, quidquid existit à parte rei, debet esse alicuius speciei proprie, vel improprie loquendo: non autem esset necessarium, ut esset alicuius speciei proprie loquendo & consequenter materia absque omni forma posset esse alicuius speciei improprie loquendo, licet non esset alicuius speciei proprie loquendo.

77. *Obiicies tertio* quæ sunt magis unum, sunt minus separabilia, quæ quæ sunt minus unum: sed materia & forma unita sunt magis unum, quæ subiectum, & proprietates, v.g. homo & risibilitas, quia hæc sunt unum per accidens, secundum communem sententiam virtuosorum; scholastica vero unum per se: ergo quemadmodum subiectum non potest separari à proprietate, ita nec materia à forma.

Respondeo distinguendo antecedens: quæ sunt magis unum unitate eiusdem rationis, transeat; unitate diversæ rationis, nego maiorem, & similiter distinguo minorem, & nego consequentiam, quia materia & forma habent unitatem tantum unionis physice; subiectum autem & proprietates habent unitatem unionis metaphysice, hoc est identitatis realis.

Respondeo secundo negando suppositum consequentis, quia secundum aduersarios subiectum & proprietates sunt separabilia.

Respondeo tertio negando minorem, quia materia & forma non sunt unum, licet faciant unum, & consequenter nequeunt esse magis unum. Adde ipsos aduersarios debere necessario concedere, quæ sunt magis unum unitate unionis realis, qualiter materia & forma dicuntur unum, esse magis separabilia, quam quæ sunt minus unum, eo modo, quo subiectum & proprietates sunt minus unum, quam materia & forma: quia hæc materia & hæc forma sunt magis unum sic quam hoc subiectum; & hæc proprietates, verbi gratia, hic homo, & hæc risibilitas: sed hæc materia & hæc forma, verbi gratia, hominis, sunt separabilia naturaliter, hic autem homo & hæc risibilitas non sunt sic separabilia, ut fatentur aduersarii, unde patet hoc argumentum nihil valere.

78. *Obiicies quarto ex Ioanne à Sancto Thoma*: secundum Philosophum hoc libro materia prima se habet ad formas naturales, sicut materia artificialium ad formas artificiales: sed materia artificialium ita est pura potentia in genere artificiali, ut nullam habeat existentiam artificialem ante formam artificialem: ergo materia prima ita est in pura potentia in genere naturali & existentia naturali, antequam habeat formam naturalem.

Respondeo proportionem materie primæ in ordine ad formas naturales physice (quam intendit Philosophus, quæque sola faciebat ad eius institutum, & probari poterat ab ipso) consistere in hoc, quod sicut materia artificialium, verbi gratia, lignum vel lapis, ex se nihil continet formam artificialem, distinctam realiter ab ipsa, & introducere per artificem:

Forma
physica
non est
que sola
dat speciem

Minus
vna pot.
sunt esse
minus se-
parabilia.

Proportio
materie
ad pri-
mum ad
materiam
artificia-

Confirmatur: sicut materia potest recipere immediate illud accidens realiter distinctum, similiter posset immediate recipere ipsam formam substantialem, quæ est per se actus eius.

86. *Obiicies primo*: potentia naturalis est una ex speciebus qualitatis, secundum Philosophum: sed materia habet potentiam naturalem ad formam, & mediante illa eam recipit: ergo mediante potentia realiter distincta, quæ sit accidens, eam recipit.

Respondeo distinguendo maiorem: potentia naturalis distincta realiter à se potente, concedo maiorem; indistincta nego: & similiter distincta minori, nego consequentiam.

Obiicies secundo, & simul replicabis contra hanc responsionem: adueniente forma, materia non est amplius in potentia ad illam: ergo potentia materię ad formam distinguitur realiter ab ipsa. Probatur antecedens, quia aliàs materia simul esset in potentia, & in actu.

Confirmatur, quia non habet potentiam naturalem ad formam semel perditam: ergo potentia naturalis materię est separabilis ab ipsa: probatur antecedens quia nullum agens naturale potest eam formam iterum in ea ponere.

87. *Respondeo primo* negando antecedens, nam sicut non perditur potentia causæ efficientis adueniente actu ipsius, verbi gratia potentia intellectiva adueniente intellectione, & calefactiva adueniente calore; ita non debet perdi potentia susceptiva, adueniente suscepta. Ad probationem antecedentis respondeo distinguendo sequelam: in potentia susceptiva aut productiva, & in actu qui recipitur aut producitur concedo, & hoc est necessarium: neque enim potest esse forma suscepta, quin sit potentia suscipiens: in potentia obiectiva, & in actu existentia, nego sequelam: neque enim existeret, & non existeret simul.

Respondeo secundo distinguendo antecedens: non est amplius in potentia ad illam, prout potentia dicit negationem aut carentiam actus seu formæ, concedo; prout dicit entitatem positivam, quæ absente forma includit tale carentiam, nego antecedens, & similiter distinguo probationem: esset in potentia, & in actu, prout potentia dicit negationem aut carentiam actus, nego; hoc enim esset absurdum: prout dicit positivum, cuius coniungitur illa carentia, concedo; sed hoc non est absurdum. Et certe hæc distinctio aduertenda est, quia communiter potentia capitur, prout habet annexam huiusmodi carentiam: non enim solet dici quod Pontifex sit in potentia ut sit Pontifex, sed quod sit actu talis.

88. *Ad confirmationem* respondeo negando antecedens, & distinguendo eius probationem: nullum agens naturale potest eam iterum producere simpliciter, nego, secundum quid, concedo. Itaque res potest habere potentiam naturalem ad accipiendum aliquid, quoties agens naturale habet virtutem simpliciter productivam istius, licet per accidens hic & nunc accideret, quod non posset illud producere. Quod autem agens naturale habeat virtutem simpliciter productivam forme destructæ, patet, quia forma est eiusdem rationis iam & ante, & agens iam habet eandem virtutem, quam ante habuit: ergo sicut ante simpliciter poterat eam producere, ita etiam iam, quantum est ex se, posset eam producere: per accidens autem non potest eam iam producere propter defectum alicuius conditionis requisitæ, nimirum quia Deus non vult cum illo concurrere: de quo alias.

Confirmatur hac solutio, quia secundum aduersarios potentia activa, quam habet ignis ad producendum ignem, est calor, & secundum omnes vel est calor, vel non est quid distinctum realiter ab ipsa materia substantia ignis: sed ignis non perdit aliquid realiter sibi identificatum, nec suum calorem, quoties destruitur calor ab ipso productus: ergo destructo illo calore manet, & non perit potentia, quia produxit ipsum ignem, quantumvis per illam potentiam non possit illud denuo producere: ergo similiter posset manere potentia, quia materia recepit formam, destructa illa forma, quantumvis per eam non posset iterum recipere illam formam.

Hæc confirmatio est optima, & ad hominem, & ex ea potest aliter responderi ad confirmationem obiectionis, negando antecedens, & admissio antecedente suæ probationis, negando eius consequentiam, quia tum habet aliquid potentiam naturalem ad aliquid, quando habet potentiam, quæ vel potuit vel potest illud recipere; unde non est necessarium quod illud possit recipere, modo ante recepit illud.

89. *Obiicies tertio*: Causa effectiva mediante aliqua potentia realiter distincta producit suum effectum: ergo causa materialis mediante aliqua potentia realiter distincta producit suum effectum, & consequenter mediante tali potentia recipit

formam: quia per receptionem formæ causat suum effectum.

Respondeo primo negando antecedens, cuius rationem alias videbimus. *Respondeo secundo* negando consequentiam: & ratio est, quia materia cum forma habet facere unum per se, & propterea immediate debet cum ipsa coniungi: causa autem efficiens non habet facere unum per se cum suo effectu, & propterea non debet ex hoc capite immediate cum ipso coniungi.

CONCLUSIO II.

90. *Materia non recipit formam mediante aliqua potentia à se formaliter distincta qua immediatius formam recipere*. Hæc videtur esse communior. Probatur, quia materia ex se sufficiens est ad immediate respiciendam formam, & forma est actus per se ipsius: ergo magis congruum est dicere quod sine tali potentia formam recipiat. *Confirmatur*, quia nulla est ratio, unde colligatur talis potentia: ergo &c.

Dices non esse maiorem rationem quod anima habeat potentiam intellectivam distinctam à se formaliter, quæ immediate recipere intellectionem, quam quod materia habeat potentiam à se formaliter distinctam, quæ recipiat formam.

Respondeo negando antecedens, quia forma est per se actus materię, intellectio vero non est per se actus animæ.

CONCLUSIO III.

91. *Materia habet potentiam à se formaliter distinctam, à qua formaliter dicitur potens recipere formam*. Hæc est communis Scotistarum, & probatur, quia ipsamet non est formaliter potentia, ergo quandoquidem possit recipere formam, habet necessario potentiam à se formaliter distinctam. Consequentia est evidens: probatur antecedens, tum quia omnis potentia formaliter loquendo est alicuius subiecti potentia: sed materia non habet aliquod subiectum nec physicum, nec metaphysicum, cuius sit potentia, ergo non est potentia. Tum etiam quia potentia formaliter est respectus transcendentalis; sed omnis respectus debet esse formaliter saltem distinctus à quocumque re obiecta: ergo potentia materię debet ab ea distinguere formaliter.

CONCLUSIO IV.

92. *Potentia formalis, quæ dicit materia ad formam, non est de eius essentia, sed proprietas eius quarto modo; potentia vero radicalis, quæ dicit, hoc est radix, à qua pullulat ista potentia formalis, est de eius essentia*. Hæc est etiam communis Scotistarum cum Doct. 2. d. 12. q. 1. 4. d. 11. q. 3. & aliis locis, contra recentiores communiter. Probatur prima pars, quia potentia formalis est respectus transcendentalis: ergo non potest esse de essentia absoluti. Præterea potentia formalis præsupponit aliquid ad quod sequitur, sicut risibilitas: sed illud quod præsupponit non est aliud quam materia prima: ergo præsupponit materiam primam: ergo non est de essentia materię primæ: nihil enim potest esse de essentia rei sibi præsuppositæ.

Probatur secunda pars, quia necessario pullulat ab essentia materię primæ, sicut risibilitas ab homine, & omni animali conuenit, ergo est proprietas eius.

Probatur tertia pars, quia radix proprietatis quarto modo est maxime essentialis rei.

Dices si materia habet potentiam à se formaliter distinctam ad formam, quare non potest illa potentia esse receptiva formæ ut quod sicut intellectus, qui est potentia, quia anima potest intelligere, est productivus, & receptivus intellectiōis ut quod.

Respondeo, præter rationem assignatam conclusionem 2. aliu de etiam id colligi, quia scilicet quidquid potest recipere aut producere ut quod re absolutam, debet esse absolutum; neque respectus potest esse subiectum receptivum aut productivum talis rei. Cum ergo ista potentia, quæ habet materiam, sit respectus, sequitur manifeste quod non possit, ut subiectum, recipere formam: intellectus vero est quid absolutum, & propterea potest producere, & recipere intellectiōem.

Authoritates & rationes, quæ contra hanc conclusionem obici possunt, tantum concludunt materiam dicere essentialiter radicem, à qua provenit potentia formalis susceptiva, & consequenter de essentia eius esse potentiam susceptivam radicalem.

93. *Quæres*, an potentia receptiva materię, quæ habet ad recipiendam formam substantialem quæcumque; distinguatur à potentia sustentativa, quæ habet ad sustentandas illas formas quæ educuntur ex ipsius potentia, & quæ non habet in ordine ad animam rationalem, quæ creatur & non educitur ex ipsius potentia.

Mastrius hic art. 4. respondet affirmativè citans pro se plures auctores. Fundamentum eius est, quod sustentatio, & receptio distinguatur: ergo & potentia receptiva ac sustentativa:

Potentia, & actus quomodo possint, & non possint esse simul.

Materia non recipit formam mediante potentia formaliter distinctam.

Materia habet potentiam formaliter distinctam.

Potentia materię est proprietas eius.

An potentia receptiva materię distinguatur à sustentativa.

tiva: nā distinctio potētiarū arguitur ex distinctione actū. Probat antecēdēs fuissimē, sed melius probaret consequentiā, quā secūdu ipsūm principia articulo p̄cedēti nō sequitur, nec vera est eius probatio: in illo. n. articulo ostēdit potētia receptiua materiæ esse eadē formaliter respectu omniū formarū, & negat ex distinctione formarū argui posse distinctionē potētiarū: ergo quamvis distinguatur specie receptio à sustentatione, adhuc non sequitur quod distinguatur formaliter potentia sustentatiua, & receptiua.

Ex disti-
ctioe
actū
nō sequi-
tur distin-
ctio potē-
tiarū.

Confirmatur: Eadē ipsa potētia formaliter, quæ est volitua, est nolitua, & potest nolle quādo nō habet volitionē, ac velle quādo nō habet nolitionē, & nolitio & volitio distinguuntur realiter, & specie. Similiter eadē est potētia formaliter, quæ apprehēdit intellectualiter, & iudicat intellectualiter, & discit: ergo similiter potest eadē potentia formaliter recipere, & sustentare, nisi sit aliqua alia ratio p̄ter diuersitatem sustentationis, & receptionis.

94. Itaq; nisi possit in aliquo reperiri potētia sustentatiua, in quo non sit potētia receptiua, aut ē cōtra, existimo nō esse distinctas formaliter has potētias, quia nulla est necessitas distinguēdi illas. Quod si in aliquo possit potētia receptiua reperiri, in quo nō reperitur potentia sustentatiua, aut ē cōtra, tū distinguī debent formaliter p̄pter principia omnia, ex quibus colligitur distinctio formalis inter animalitatē, & rationalitatē. An autē possint hoc modo separari, nō mihi satis cōstat, quia nō occurrit mihi exēplū aliquod vilius rei, quod habet virtutē sustentatiuā suā materialē absq; virtutē receptiua, nec ē cōtra. Verū est q. Verbu diuinū sustentet naturā humanā, & q. nō proprie recipiat illā: sed nō videtur sustentare ipsā materialiter, quia natura humana, cū sit substantia cōpleta, non potest habere dependentiā à causā materiali alia quā intrinseca, qualis nō est Verbu respectu ipsius, habet enim suā propriā materiā creatā, etiā vnitā Verbo. Verum etiā est quod Deus possit sustentare formas substantiales, & accidentales absolutas supplēdo defectum concursus causæ materialis: sed hoc facit efficienter, & non materialiter.

95. Quod si quis velit dicere q. virtus sustentatiua ut sic sit communis vniūce virtuti sustentatiuæ materiali, & efficienti, quādoquidē certū sit q. aliquid possit habere virtutē sustentatiuā efficiētē, q. nō habet virtutē receptiua formæ substantialis, aut vilius formæ physicæ, ut patet in Deo, potest dicere cōsequēter quod virtus sustentatiua ut sic distinguatur à virtutē receptiua quacūq; & consequēter q. quæcūq; virtus sustentatiua particularis, in qua includitur ratio virtutis sustentatiuæ ut sic, distinguatur formaliter à quacūq; virtutē receptiua. Sed quidquid sit de distinctione formali Scōtistica harū potētiarū, certū est quod ita distinguantur potētia sustentatiua, & receptiua ut possint intelligi sub vna ratione, quin intelligantur sub alia: sic. n. intelligimus materiā recipere formas substantiales aliquas, dubitādo adhuc an habeat virtutē sustentatiuā respectu earū; vnde ponimus quæstionē particulare de hac re, quādo examinamus, an & quānā formæ substantiales educantur ē potētia materiæ, ac sustentantur ab ipsa.

Quæres secundo an potētia receptiua formæ substantialis & accidentalis distinguatur formaliter. *Respondēdo* quod sic, quia potest reperiri in aliquo potentia receptiua formæ accidentalis, in quo nō reperitur potentia receptiua formæ substantialis: potest. n. Angelus recipere formas accidentales, & nō substantiales. Similiter totū cōpositū substantiale potest recipere formas accidentales, & non potest recipere formas substantiales, cū sit cōpletū, ut suppono: vniuersaliter autē huiusmodi separabilitas arguit distinctionē formalem in principiis Scōti, ut patet ex dicēdis in disputatione de distinctione formali in Metaphysica.

QVÆSTIO VII.

De appetitu materiæ primæ ad formas substantiales.

96. **A**ppetitus duplex est, elicited & innatus; elicited, quicquid nomine vocatur intencionalis, est actus à potentia appetitiua productus, quo in aliquod cognitū fertur, illud desiderādo vel quomodocūq; volēdo; *Innatus* est naturalis inclinatio cuiuscūq; rei ad suā perfectionem, indita à natura cuiuslibet rei, & sic ignis appetit esse

fursū. Distinguntur autē hi duo appetitus, q. elicited sit actus distinctus realiter, productus à re per ipsū appetēte, & quod præsupponat cognitionē, appetitus vero innatus, neq; producat realiter à re appetēte per ipsūm, neq; cognitionē necessario exigit. Dico necessario, quia per accidēs posset res appetēs aliquid appetitu innato illud cognoscere: Angelus. n. potest cognoscere cognitionē lapidis, quā tamē appetit appetitu innato; sed hoc est per accidēs ad appetitū, quia quātumuis illā nō cognosceret, eam appetēret, imo nunquam sit, ut præexigat appetitus innatus cognitionem, quia est proprietas rei, proprietas autem non præexigit operationem aliquam.

Porro appetitus innatus, quatenus cōparatur ad formam, quam respicit, dum abest illa forma, vocatur appetitus desiderij; dum autē comparatur ad formam illam dum actu coniungitur cum re appetente, vocatur appetitus complacentiæ; vnde dici potest & solet de re appetente aliam rem appetitu innato, quod desideret illam, quamdiu abest, & quod complaceat sibi quamdiu adest.

97. Itaq; nō quæritur in hac quæstione, an materia habeat appetitū elicitedū circa formā, quia est extra cōtrouersia quod nō, quādoquidē nō habeat vim cognitiuā, sed an habeat appetitū innatū, seu naturalē inclinationē ad formas omnes substantiales, quas potest habere. Circa quod aliqui sentiūt materiā appetere omnes formas, sub ratione tamē formæ, ut sic, in qua omnes conueniūt, non tamē sub ratione particulari cuiuscūq; formæ. Alij dicūt, quod dicat appetitum ad omnes formas, quas habet, & quas potest habere naturaliter, nō vero ad formas, quas habuit, quia illas nequit naturaliter habere. Alij dicunt materiā appetere omnes omnino formas, sed nō eodē tamē appetitu formaliter, sed tot appetitibus diuersis, quot sūt formæ diuersæ. Alij volūt, quod eodē appetitu realiter & formaliter recipiat omnes formas, quas recipit. Facile cōtrouersia erit maxima ex parte de nomine; quid probabilius appareat, sequētib; cōclusionib; aperietur.

CONCLUSIO I.

98. *Materia prima appetit omnē formā substantiāle, quā potest ipsi inherere, tū presētiē quā absētiē; tū habitiā ac destructiā, quā nō habitiā ac nō destructiā, & hoc nō solū secundū rationē formæ ut sic, sed etiā secundū rationē particulare cuiuscūq; formæ ex illis.* Hec est cōmuniō cū Scoto 1. d. 1. q. 1. ac suis, excepto Shgēma qui negat appeti formas secūdu rationes particulares, hic digressione 5. q. 6. Scorum sequūtur *Auersa* q. 20. sēct. 21. *Ruinus* hic q. 7. *Amicus* ibidem cōtra plures alios, quos sequitur *Arriaga* disp. 2. phys. sēct. 4.

*Probat*ur, quia appetitus innatus materiæ respectu formæ est idēficatus materiæ, cū nō sit actus elicited ab illa, nec qualitas vlla ipsi superaddita, & cōsistit proprie in perfectibilitate ipsius respectu formæ, quæ perfectibilitas non est aliud quā vniuersalitas ipsius cum forma sic, ut faciat cum forma vnū per se, sed potest facere vnū per se cum quacūq; forma substantiali, quæ potest ipsi inherere, siue præsens sit, siue absēs, siue destructa, siue nō destructa; & non solū potest facere vnū per se cū illis secūdu rationē formæ, sed etiā secūdu rationē particularem, aliās non resultaret ex materia, & forma vlla particulari cōpositū aliquod particulare: sed omnia cōposita, quæ resultarent ex materia, & forma quacūq; essent eiūdem rationis, quod est absurdum: ergo vera est conclusio vniuersaliter, prout iacet secundum omnem partem.

99. *Confirmatur:* ideo appetit formam absentem, quia potest cum ipsa facere vnū per se: sed cum præsenti potest hoc facere, & cum destructa etiam, quantum est ex se, si v. g. iterum coniungeretur cum ipsa: ergo appetit etiam præsentes, & destructas formas.

Confirmatur secundo: ideo appetit formam secundum rationem formæ ut sic, quia potest cum illa facere vnū per se secundū illam rationem, nimirum cōpositum ut sic: sed potest facere cū forma secundum rationem particularem formæ cōpositum tale determinatum: ergo appetit formam particularem secundum rationem particularem. Quæ ratio probat quod non solum appetat formas secundum rationes particulares específicas, sed etiam secundū rationes particulares singulares: nā cum forma

Quid ap-
petitus
elicited,
& quid
innatus.

Sensus
quæstio-
nis.

Diuerſi
modi di-
cendi.

Materia
appetit
omnem
formam.

singulari, qua talis est, facit compositum singulare tale, quod non posset facere cum vlla alia singulari forma, sicut cum forma tali specifica potest facere compositum tale specificum, quale non posset facere cum vlla alia forma diuersae rationis specifica.

Dices cum Arriaga, appetitum materiae dicere formaliter negationem primae productionis formae: vnde, quia forma destructa fuit producta, materia non potest dicere talem negationem, & consequenter non potest dicere appetitum ad illam.

Contra quia gratis, & absque vilo fundamento dicitur illa negatio esse de ratione formali appetitus, & si esset verum, sequeretur quod materia non appeteret formam habitam. Deinde nos non loquimur de appetitu prout dicit talem negationem, sed prout dicit omnem entitatem positivam, quam inuoluit.

100. *Obiicies primo*: Materia nequit coniungi cum forma ut sic, ergo nequit appetere formam ut sic, & consequenter falsa est conclusio, quatenus dicit quod appetat formas secundum rationem formae ut sic.

Respondeo distinguendo antecedens: cum forma ut sic non contracta ad aliquas differentias in particulari, concedo; contracta ad aliquam differentiam particularem, nego antecedens, & consequentiam.

Obiicies secundo: si materia appeteret formam, quam non habet, praesertim secundum rationem particularem, deberet appetere destructionem formae quam habet: sed hoc est absurdum, quia appetit formam habitam; absurdum autem est, quod appetat quis destructionem rei, quam appetit: appeteret enim ipsam, & non appeteret simul. Probat sequela maioris, quia quod appetit aliquid, debet appetere media necessaria ad acquisitionem eius: sed medium necessarium ad acquisitionem formae absentis est destructio formae habitae: sine hac enim destructione acquiri nequit; cum utraque forma simul in ea esse nequeant: ergo deberet appetere illam destructionem.

101. *Respondeo primo*, negando sequelam, & distinguendo maiorem probationis, si medium sit simpliciter necessarium, transeat; si non sit, nego maiorem. Et iuxta hoc distinguo minorem: sed destructio formae habitae est medium simpliciter necessarium ad acquisitionem formae non habitae, nego: posset enim forma non habita acquiri, quamuis non praefuisset forma habita, & consequenter destructio formae habitae non est medium simpliciter requisitum: destructio illa est medium requisitum secundum quid, id est, ex hypothesi quod habeatur, concedo minorem, & nego consequentiam.

Dices: saltem carentia formae habitae est medium simpliciter requisitum ad habendam formam non habitam, quia sine illa nequit haberi forma illa alia: ergo debet petere carentiam illam, & consequenter non potest appetere formam ipsi oppositam, quia alias appeteret formam & carentiam eius simul.

102. Propter hanc replicam & alias, quae opponi possunt. *Respondeo secundo*, negando sequelam, & distinguendo alio modo maiorem probationis: si finis desideratus nequeat acquiri, nisi medium illud necessarium appetatur concedo: si possit acquiri, quamuis non appeteretur medium, nego maiorem, & consequentiam, quia posset materia acquirere formam non habitam, quamuis non appeteret destructionem formae habitae.

Responderi posset tertio, negando sequelam & distinguendo adhuc alio modo maiorem probationis: quod appetit aliquid appetitu elicito praesertim efficaci, transeat; quod appetit aliquid appetitu innato, nego maiorem; praesertim quando non appetit illud solum, sed aequae appetit alia incompatibilia cum illa, ut contingit in casu nostro, quia materia non appetit vnā solā formam, sed alias cum illa incompatibiles; vnde non debet ad acquisitionem vnus appetere destructionem aliarum.

103. *Obiicies tertio*: si appeteret omnes formas appetitu innato identificato sibi, deberet appetere illas simul: sed hoc est falsum, quia alias deberet posse habere omnes simul.

Respondeo distinguendo maiorem: deberet appetere illas simultate actus, nego: simultate potentiae, concedo

maiolem, & nego minorem. Itaque ex eo, quod materia appetat appetitu innato omnes formas, non sequitur quod possit omnes formas simul habere, ita ut ipsae formae simul & copulatiue possint perficere ipsā, & hoc est quod intelligitur quando dicitur, quod non possit omnes formas habere simultate actus: sed sequitur quod habeat appetitum, qui simul respiciat omnes illas formas, ita ut pro eodem instanti, quo respicit vnā, aequae respiciat quamcumque aliam, & quod possit pro eodem instanti, quo habet vnā, habere quamcumque aliam; non quidem in sensu composito cum alia forma, sed in sensu diuiso possibili, nempe ex suppositione, quod in illo instanti non haberet illam aliam formam: & hoc est quod intelligitur, quando dicitur, quod materia possit habere omnes formas simultate potentiae. Exemplum huius est in voluntate respectu volitionis & nolitionis eiusdem obiecti voluntas enim potest utramque producere, & quidem pro eodem instanti quo producit vnā ex illis, posset producere alteram, vnde habet simultatem potentiae respectu vtriusque; non tamen potest habere utramque simul copulatiue, quia opponuntur contrarie; vnde non potest illas habere simul simultate actus; quod idem directe occurrat in casu praesenti de materia.

104. *Obiicies quarto*: sequeretur materiam esse in statu violento sub forma habita, si naturaliter tum appeteret formam non habitam secundum rationem suam particularem: sed hoc est absurdum: ergo & conclusio. Probat sequela, quia tum videtur aliquid esse in statu violento, quando habet aliquid incompatible cum illo, quod naturaliter appetit: & hinc graue, dum est fursum, est in statu violento; & leue quando est deorsum; & aqua, quando est sub calore.

Confirmatur: si materia prima esset sine vlla forma esset in statu violento, quia careret perfectione per se suā, quam naturaliter appetit: ergo si materia existens sub vna forma appetat formam non habitam tanquam perfectiui suum, erit in statu violento, quandoquidem habeat tum carentiam eius. Nec sufficit dicere, quod habeat aequiualem perfectionem, nempe formam habitam, quia posset fieri quod forma habita non esset aequiualens formae absenti; forma enim absens posset esse perfectior forma habita, & consequenter forma habita non esset tum aequiualens formae absenti. Nec tollitur haec difficultas recurrendo ad diuersos formaliter appetitus, dicendo tot esse diuersos appetitus in materia, quot sunt formae; imo potius augetur, quia hoc supposito sequeretur materiam secundum vnum appetitum suum carere sua perfectione per se, neque aliam etiam aequiualem habere secundum eundem: ergo esset in statu violento secundum omnes illos appetitus, quibus respiceret formas absentes; & quandoquidem non esset in statu naturali, nisi secundum vnum appetitum, respicientem scilicet formam vnā habitam, potius dicenda esset simpliciter in statu violento, quam in statu naturali, vnde male astrueret *Fuentes* plures appetitus ad defendendum, quod materia sub vna forma non esset in statu violento: sed certe nec in ordine ad hoc illos plures appetitus asseruit: quare male id imposuit *Masfrus hic quasi 6. artic. 1.*

105. *Respondeo* negando sequelam, & distinguendo probationem: si illud aliud incompatible etiam non appetatur, nego: & dico quod non propterea graue fursū est in statu violento, quia habet vbi incompatible cum vbi deorsum, quod naturaliter appetit; sed quia vltius non appetit vbi fursū, sed abhorret ab eo, ut colligitur ex eo quod feratur deorsum ablato impedimento. Et idē dicendum de leui existente deorsum, & etiam de aqua, quae sub calore non est in statu violento, ex eo precise, quod calor sit incompatible cum frigore, quod appetit, sed ex eo, quod abhorret a calore, ut colligitur ex eo, quod reducat se ad frigus, & quod calor deseruiat ad eius destructionem.

Ad confirmationem respondeo primo, negando antecedens, quia quamuis non esset in statu conaturali, quandoquidem non haberet vllā ex perfectionibus, quas conaturaliter exigit, tamē hoc non videtur sufficere, ut dicatur esse in statu violento, sed vltius requiritur ut habeat aliquam

Quomodo materia simul appetat omnes formas.

aliquam formam nocivam, alias intellectus dormientis esset in statu violento.

Respondeo secundò, negando consequentiam, quia ratio quare materia diceretur tum esse in statu violento, non est quod careat aliqua perfectione, quâ conaturaliter appeteret; sed quod careret omni tali perfectione: quando autem est sub vna forma, licet careat pluribus perfectionibus talibus, non tamè caret omni, & propterea nõ debet dici esse in statu violèto: nec refert, quod careat maiori perfectione, quàm habet, quia sufficit quod habeat aliquâ, quâ appetit, & præsertim si illa perfectio sit talis, ut eû ea nõ possit habere vltiori, naturaliter loquendo, sicut cõtingit in casu nostro. Quod si aliquis nihil aliud velit per statum violentum intelligere, quam statum in quo aliquid sit absque aliqua perfectione, quam naturaliter appeteret, quamvis haberet perfectionem aliam incompatibilem, quam etiam appeteret, ne fieret quæstio de nomine, posset concedi ipsi, quod materia esset in statu violento, nec id esset absurdum ex ista hypothesi: vere tamen hic modus loquendi esset improprius & novus.

106. *Obiicies quintò*: materia satiatur quacunq; forma, quam habet: ergo non appetit aliam vllam. Probatur consequentia, quia si appeteret aliam, non esset satiata.

Respondeo negadò consequentiam cum sua probatione; satiari enim materiam à forma non est aliud, quam eam à forma perfici sic, ut eam ipsa constituat vnũ per se compositum substantiale: hoc autè est. compatibile sine dubio cum hoc, quod possit perfici per alias formas, & consequenter, cum appetitu respectu aliarum formarum, qui consistit in hac perfectibilitate; vnde non sequitur ex eo, quod materia satiatur per vnam formã, quin possit appetere alias formas. Verum quidè est, quod qui est satiatus, quantum ad appetitum elicitum, non possit appetere aliquid aliud, quam id quo sic satiatur, quia satiatus huiusmodi inuoluit negationem vltioris desiderij, & tunc iudicamus hominem satiari, quando nihil amplius appetit, præter id quod habet: at satiatus materiæ orta à forma non inuoluit negationem appetitus innati respectu aliarum formarum, cum consistat in hoc solummodo, quod perficiatur materia taliter à forma, ut faciat cum ipsa vnũ per se compositum completũ. Quod si quis velit intelligere per satisfactionem materiæ, quod sic se habeat, ut non appetat aliquid præter id, quod habet, tum negadum est materiam satiari per formã, aut etiam eam posse satiari vnquam, nisi haberet omnes formas possibiles: & in hoc sensu capiendò satisfactionem, negandum esset antecedens obiectionis, nec id esset vllò modo inconueniẽs.

Obiicies sexto: appetitus est respectu absentis tantum: ergo materia non appetit formam, quam habet.

Respondeo, distinguendo antecedens: innatus, nego: elicitus, transeat, & nego consequentiam; imò appetitus elicitus complacentiæ potest haberi circa res possessas, licet appetitus desiderij non habeatur circa illas: vnde *Respondeo secundò* negando absolute antecedens.

CONCLUSIO II.

107. *Materia non equaliter appetit omnes formas, sed magis appetit perfectiores formas.* Hæc colligitur ex *Scoto* 4. d. 49. q. 10. & dist. 50. q. 5. & eam tenet expresse *Mastrius* hic q. 6. a. 2. contra *Ruinum* q. 7. dub. 2. *Auersam* q. 20. sect. 11. *Fuent. quæst.* 2. diff. 3. art. 4.

Probatur, quia appetitus materiæ nihil aliud prorsus est quam perfectibilitas eius: sed est magis perfectibilis per formam perfectiorem, quandoquidem cum ea componat compositum perfectius: ergo magis illam appetit.

Confirmatur, quia ideo appetit formam vllam, quia est eius perfectio: ergo magis appetit formam, quæ est maior perfectio eius.

Probat vltimus Mastrius conclusionem, quia ipsimet aduersarij concedunt, quod magis appetat formas substantiales, quam accidentales: ergo debent concedere, quod magis appetit magis perfectas formas.

Sed hæc probatio non vrget, quia nõ ideo magis appetit formas substantiales, quam accidentales, quia substantialis est perfectior præcisè, sed quia accidentales appetit propter substantiales, & propter quod vnũquodq; est tale,

& illud magis: quia ratione dicitur communiter, quod finis magis appetatur, quam medium, quia medium appetitur propter finem, forma autem imperfectior substantialis non subordinata, de qua loquimur, non appetitur propter formam perfectiorem, ut est euident, quia potius est impedimentum perfectioris formæ, quam adiumentum; vnde ruit paritas obiectionis.

Probat idè vltimus ex proportionem appetitus innati ad elicitũ: Appetitu elicto magis appetitur maius bonũ: ergo & innato. Hæc etiam probatio parum stringit, quia negari posset proportio quantum ad hoc; neq; in omnibus debet habere proportionem, ut patet ex eo, quod quãdo appetitus elicitus habet maius, nõ appetat bonũ minus; nõ obstatè vero, quod appetitus innatus habeat maius bonũ suum, appetit minus bonum, ut statim dicitur, ergo similiter nõ est necesse quod appetitus innatus magis appetat maius bonũ, licet appetitus elicitus id faciat.

108. *Obiicies*: appetitus materiæ est potètia passiva naturalis eiusdè: sed hæc est indifferens ad omnes formas, & quantum est ex se non magis determinata ad vnam, quam ad alteram, alias sub illa, quam determinate respiceret, esset naturaliter, sub aliis violenter: ergo æqualiter appetit omnes formas.

Confirmatur, quia hinc oritur, ut materia appetat minus nobilem formam existens sub nobiliori, & formam semel amissam: ergo appetit æqualiter omnes.

Respondeo distinguendo minorè, est indifferens ad omnes, quãtu ad hoc, quod per omnes possit perfici, & quod ex se nõ magis possit habere vnã, quã alterã, cõcedo; est indifferens ad omnes ita, ut nõ magis appetat vnã, quã alterã, nego minorè, & cõsequentiã. Ad probationem minoris dico, quod quãuis magis esset determinata materia ad vnã, quã ad alterã, quatenus magis appeteret vnã, quã alterã; tamè nõ inde sequeretur, quod esset in statu violèto sub iis quas minus appeteret, quia sufficit ad tollendã violètiã, quod illas etiã appetat, licet nõ tãto opere eas appetat.

Ad confirmationem dico, quod non ex æquali appetitu omniũ formarũ oriatur, ut appetat ignobiliore formas, & eas quas amittit; sed ex eo quod omnes appetat, licet magis vnã quã alias, ut colligitur euidenter ex hoc quod si per impossibile appeteret omnes, sed in æqualiter, non posset non appetere ignobiliore & amittas.

109. *Obiicies*: appetere magis maius bonũ est appetitũ cognitiuũ, qualis nõ est materiæ: ergo nõ sic appetit.

Respondeo distinguendo antecedens: appetitu elicto, concedo; innato, nego antecedens & consequentiam.

Obiicies tertio: materia appetit formas solummodo ad faciendum vnũ per se cum illis: sed cum quacunque facit vnũ per se: ergo æqualiter omnes appetit.

Respondeo distinguendo minorè: facit vnũ per se eiusdè rationis & æquè perfectũ, nego minorè; diuersæ perfectionis concedo minorè, & nego consequentiã; quia licet appetat facere vnũ per se, magis tamen debet appetere facere vnũ illud per se, quod est perfectius.

Obiicies quarto: sequeretur quod deberet appetere interitum formarum ignobiliorum, & quod ex nobiliori composito nunquam fieret ignobilius.

Respondeo negando vtrãq; sequelam, quia nõ obstatè maiori appetitu formæ perfectioris, manet appetitus ad formã imperfectiorẽ, & sic nõ inest materiæ desiderij interitus eius. Deinde nõ obstatè eodè maiori appetitu potest agēs naturale tale applicari, quod prius ipsã formã, quã magis appetit, & introducat formã, quã minus appetit; sicut .n. non obstatè, quod aqua appetat frigus, & nõ appetat calorem, propter applicationem tamè agētis calefactiui priuatur frigore, & afficitur calore: ita nõ obstante appetitu maiori formæ perfectioris, posset agēs aliquod applicati, quod introduceret formã imperfectiorẽ, perfectiori expulsa: imò si materia nõ haberet appetitũ ad formã aliquã imperfectã, & tamè posset cõiungi eû illa per agēs naturale; sequeretur ex destructione cõpositi nobilioris cõpositũ ignobilius. Vnde nõ video cur *Mastrius* dicatq; hoc argumentũ cõvinceret, si materia non haberet appetitũ ad formã imperfectiorẽ, nõ quod in tali casu nõ sequeretur ex nobiliori cõposito ignobilius cõpositũ.

L I 3 C O N

CONCLUSIO III.

Materia
quamvis
habet
formam
includen-
tem per-
fectiones
omnium
formarum
appeteret
alias for-
mas.

110. *Non solum materia appetit formas ignobiliores, dum est sub nobiliori, sed si haberet formam unam includentem perfectiones omnium aliarum formarum, adhuc appeteret alias formas imperfectiores.* Hæc videtur communior, & prima pars colligitur ex *Scoto 1. d. 1. q. 1.* ubi inquit quod nulla forma satiat materiam totaliter, nisi in illa omnium aliarum formarum perfectiones contineantur: ergo manet appetitus in materia ad ignobiliores, quando est sub nobiliori non continente perfectiones aliarum formarum. Secunda vero pars videri posset contra ipsum in eodem loco, quia videtur supponere quod si esset aliqua forma, quæ contineret aliarum formarum omnium perfectiones, illa satiare materiam, & consequenter non relinqueret in ipsa appetitum ad alias formas. Postea tamen explicabimus *Scotum*, & ostendemus neque hanc partem esse contra ipsum, sed potius iuxta ipsius principia.

Probat ex dictis, quia appetitus materiæ est perfectibilitas eius: sed non obstante perfectiori ac perfectissima forma continente aliarum omnium formarum perfectionem, est perfectibilis per alias quascumque formas, quandoquidem possit facere cum qualibet ipsarum unum per se: ergo dicit appetitum ad illas.

Confirmatur, quia appetitus materiæ ad quaecumque formam est vel proprietas eius, ut tenet *Scotus*, vel quid essentiale ipsi, ut existimant alij: ergo semper manet non obstante quacumque forma, quam haberet materia etiam perfectissima illa.

111. *Mastrius* probat hanc conclusionem, quia si materia non appeteret formam ignobiliolem, quando est sub nobiliori, non posset forma nobilior destrui, & consequenter compositum ex materia & anima rationali, quæ est forma perfectissima, quæ de facto dari potest, naturaliter iuxta legem ordinariam nequireret corrumpi, contra rationem, & experientiam.

Verum hæc probatio non placet, quia, ut ante dixi, quamvis nō diceret materia appetitum ad formas ignobiliores, dum esset sub nobiliori aut nobilissima, tamen posset agens naturale introducere dispositiones, contrarias illi formæ, & eam expellere ac educere aliā formā ex potentia materiæ, sicut potest educere calorem ex potentia aquæ, quamvis aqua non appeteret illam: unde nego sequelam.

Dices: ex appetitu materiæ ad alias formas præter habitam dicitur communiter materiam esse radicem corruptionis, & generationis: ergo si non haberet appetitum ad formam ullam, quando esset sub forma perfectissima, non posset fieri corruptio aut generatio ex ea.

Respondetur negando maiorem, in sensu præciso, quasi scilicet solus appetitus materiæ esset radix corruptionis ac generationis; nam etiam si appetitus ille sit causa cur possit coniungi cum aliis formis, tamen quamvis non adesset, modo materia haberet coniungibilitatem cum aliis formis incompatilibus, adhuc esset radix generationis & corruptionis, ut patet in exemplo aquæ.

Confirmatur hoc, quia materia cælestis (supponendo quod sit eiusdem speciei cum materia sublunari) habet appetitum ex se ad alias formas, & tamen non potest naturaliter perdere formam cælestem: ergo appetitus præcise non est sufficiens ad hoc, ut possint agentia naturalia generare & corrumpere.

112. *Obiicies primò*; Non datur appetitus innatus respectu mali: sed imperfectior forma esset malum materiæ, ergo non appetit ipsam.

Respondetur negando minorem aut potius distinguendo maiorem respectu mali simpliciter, concedo; respectu mali secundum quid, nego maiorem; & similiter distinguo minorem: est ipsi malum secundum quid, concedo, & nego consequentiam, est ipsi malum simpliciter, nego minorem, quia quod perficit aliquid, non est ipsi malum simpliciter; licet esset aliquid quod impediret maius bonum, & præsertim si per accidens impediret illud maius bonum, ut contingit in proposito, quia forma ignobilior per accidens tollit formam perfectiorem, quia per accidens est quod infuerit illa perfectior forma, aut quod esset hic & nunc producenda, quando producebatur forma

imperfectior. Exemplum huius potest esse in moralibus in eo, qui cum posset actum nobilioris virtutis elicere, eo, quando non adesset præceptum, neglecto, eliceret actum ignobilioris virtutis, ille enim actus ignobilioris virtutis incompatibilis cum actu nobilioris non esset dicendus actus malus, quia alias non esset virtutis, quamvis impediret formaliter actum meliorem; ergo similiter, quamvis forma imperfectior impediat perfectiorem, non debet dici mala simpliciter.

113. *Obiicies secundo*. Ideo Deus visus ita satiat appetitum beati, ut non desideret aut apperat aliud videre, quia aliorum obiectorum continet perfectiones: ergo quando materia haberet unam formam aliarum perfectiones continentem, ita satiaretur, ut non appeteret aliam saltem inferiorem.

Respondetur primo, exemplum esse ad oppositum, quia non ita satiatur beatus Deo viso, quin appetitu innato apperat alia videre, quidquid sit de appetitu elicto; ergo similiter dicendum in proposito. Dixi quidquid sit de appetitu elicto, quia fortassis etiam appetitu elicto beatus aliqua alia præter Deum desiderat, nam certe quando beati orant pro nobis, desiderant nobis bona, verum tamen est, quod illud desiderium eorum sit cum summa resignatione ad voluntatem diuinam, & absque vlla molestia, ac propterea non impendit quo minus sint plene satiati eo non obstante, de quo tamen suo loco.

Respondetur secundo negando consequentiam, quia, ut non eo supra dixi, non eodem modo discurrendum est de appetitu elicto, præsertim regularo ac conformi rationi ac de appetitu innato, ut patet ex eo quod aliquis posset quantum ad appetitum elictum satiari obento minori bono, quod tamen ab aduersariis nō dicitur de appetitu innato ergo non est eodem modo quantum ad hoc discurrendum de illis. Probat maior, quando quis appeteret eleemosynam ab aliquo Principe, posset esse contentus ea, quam daret, & non appetere maiorem: ergo potest quis satiari quantum ad appetitum elictum obento minori bono, ita ut aliud non petat. Et hinc fit ut plurimi (proh dolor) sibi satisfactum existiment, quando ad votum suum consequuntur bona terrena, nec curant consecutionem vitæ æternæ, sed illa forte essent contenti semper, si semper manerent in eodem statu.

114. *Obiicies tertio* *Scotum* supra, & 2. d. 14. q. 1. ubi docet quod forma includens virtualiter omnes perfectiones aliarum formarum, satiaret omnes appetitus materiæ etiam extensivæ: ergo non appetit aliam formam ullam, si habet talem formam.

Respondetur negando consequentiam, quia cum hoc quod satiatur materia per unam formam, potest habere appetitum innatum ad aliam: neque enim satiatus & appetitus innatus opponuntur, satiatus enim materiæ consistit in completionem quam dat forma informans faciens cum ipsa unum per se; appetitus autem consistit in perfectibilitate seu complebitate per formam; completio autem, & complebitas compatiuntur adeo, ut nihil compleatur quod non sit complebile.

Dices; si satiatus materiæ consistat in completionem tali: ergo per quancumque formam satiatur, quod videtur contra *Scotum*, qui negat materiam satiari nisi per formam continentem perfectiones omnium aliarum formarum.

Respondetur, satiaretur capi posse dupliciter, vno modo quatenus dicit completionem quancumque, per quam fit unum compositum completum, & de hac non loquitur *Scotus*: alia est talis completio particularis, per quam possit dici, quod materia habeat actu omne suum complementum aliquo modo, nimirum vel formaliter vel virtualiter ac eminenter, & de hac satiatus loquitur *Scotus*: & certum est materiam non posse hoc modo satiari, nisi habeat vel omnes formas simul, vel aliquam formam continentem formaliter, ac eminenter perfectiones aliarum formarum: & certum est etiam quod satiaretur habita una tali forma sic, ut posset dici simpliciter de ipsa, quod non haberet carentiam ullius perfectionis, quæ potest habere, quandoquidem haberet omnes secundum speciem vel formaliter, vel eminenter, quod sufficit ut simpliciter dica

dicatur omnes habere, & hoc modo tantum vult Scotus, quod satiaretur materia per vnicam talem formam.

CONCLUSIO IV.

An vno appetitu materia appetat omnes formas.
 115. Vnico radicali & formali appetitu materia appetit non solum omnes formas eiusdem speciei, quas potest recipere, sed etiam omnes formas diuersæ speciei, si non possint dari materia diuersæ speciei, quarum aliqua determinarentur ad has formas, ita ut non possint alias recipere, alia ad alias: si autem possint dari huiusmodi materia diuersæ speciei, tum non vno appetitu formali respicit omnes formas diuersæ speciei, sed diuersis formaliter appetitibus pro diuersitate formarum. Hæc est conformis principiis Doctoris, quamuis videatur aliquibus Scotistis problematicus in 4. d. 11. q. 3. & quantum ad primam & secundam partem est communior contra *Fuentem art. 4.* quoad tertiam autem partem non solet proponi, credo quod negaretur à recentioribus ac *Thomistis*, & à *Mastris* propter doctrinam quam habet q. 5. a. 3. obiectione prima ad tertium.

Probatur prima pars primo, quia si non respiceret omnes formas eiusdem speciei eodem appetitu radicali & formali, deberet habere tot appetitus actû sibi identificatos, quot sunt formæ tales possibiles & consequenter quandoquidem formæ tales possibiles sint infinitæ numero, deberent esse infiniti respectus aptitudinales in materia distincti formaliter, quod videtur inconueniens propter omnia illa principia, quibus probatur non dari de facto infinitum actû. Probatur sequela, quia omnis appetitus, quo materia appetit vllam formam, identificatur ipsi materiæ, & consequenter inexistit ipsi, dum ipsa existit, siue formæ, quas respicit, existant realiter siue non existant: neque enim respectus aptitudinalis dependet ab actuali existentia termini secundum omnes.

115. *Probatur secundo*, quia non sunt multiplicandæ formalitates, nec respectus absque necessitate: sed nulla est necessitas multiplicandi appetitus formaliter ad multiplicationem formarum eiusdem speciei, nec vlla est ratio cur vnicò formaliter appetitu non posset materia appetere omnes illas formas: ergo non habet plures appetitus formaliter distinctos; sed vnicum tantum formalem appetitum, & consequenter vnicum radicalem: quia potius multiplicari deberet formalis, quam radicalis appetitus, qui est de ipsamet essentia materiæ, & differentia constitutiva eius, ratione cuius pullulat appetitus formalis, qui est respectus aptitudinalis profluens ab essentia materiæ. Probatur minor: si esset aliqua necessitas multiplicandi respectus in materia, maxime quia posset intelligi cum respectu ad formam vnam, seu ut appetens vnam formam, sine eo quo intelligeretur cum respectu ad alias formas, seu ut appetens illas: sed hæc ratio non concludit quin eodem formaliter appetitu appetat omnes: ergo nulla est necessitas multiplicandi appetitus. Probatur minor, quia, ut diximus in disputatione de distinctione formali, potest vnica simplicissima formalitas intelligi cum ordine ad vnum quid, quin intelligatur cum ordine ad aliud, ad quod dicit ordinem.

Confirmatur hoc, quia secundum omnes eodem appetitu radicali, quæ est ipsa essentia materiæ, materia respicit omnes formas; sed ille appetitus radicalis potest intelligi, ut est principium appetitus formalis ad vnam formam, sine eo, quod intelligatur, ut est principium appetitus formalis ad aliam formam, & tamen non sunt plures appetitus radicales: ergo quamuis posset materia intelligi cum appetitu ad vnam formam sine eo, quod intelligeretur cum appetitu ad aliam formam, non debet dici quod habeat plures appetitus formales formaliter distinctos formalitate Scotistica ante omnem operationem intellectus, de qua loquor in conclusione, non de distinctione rationis ratiocinate aut ratiocinantis, neque enim curandum est an pluribus appetitibus ratione tantum distinctis appetat omnes formas; sed facile concedi potest, nec potest habere aliam difficultatem quam de nomine.

116. *Obiicit primo Scotus* 1. d. 1. q. 1. n. 6. vbi dicit

tot esse appetitus materiæ ad formas, quot sunt formæ receptibiles in ipsa: ergo nostra conclusio est contra Scotum.

Respondeo primo, posse Scotum intelligi de appetitibus ad formas distinctæ speciei iuxta tertiam partem conclusionis.

Respondeo secundo, eum posse intelligi cum *Vigerio*, *Borgia* & *Mastris* de appetitu proximo, quatenus inuoluit etiam dispositiones actuales, non de appetitu, qui est respectus identificatus materiæ: certum autem est, quod tot habeat dispositiones diuersas de facto materia, quot recipit formas diuersas.

Respondeo tertio, eum intelligi optime de tot appetitibus distinctis ratione tantum, non à parte rei antecederet ad omnem operationem intellectus.

Obiicit secundo. Relationes multiplicantur ad multiplicationem terminorum secundum doctrinam communem Scoti: ergo tot sunt appetitus in materia, quot sunt formæ receptibiles.

Respondeo distinguendo antecedens: relationes, quæ ita possunt respicere vnum terminum, ut non necessario debeant respicere alios terminos, concedo antecedens; quæ non possunt respicere vnum, quin necessario debeant respicere reliquos terminos, & quorum vnum non respiciunt prius quam reliquos, nego antecedens & consequentiam; quia materia æque primo respicit omnes huiusmodi formas; nec prius respicit vnam quam alteram, ut est euident.

Obiicit tertio ex Fonte: si esset vnus tantum appetitus in materia, satiaretur vnica forma, & non appeteret alias: ergo sunt plures, & consequenter tot, quot sunt formæ.

Respondeo negando antecedens, quia quandoquidem ille vnus respiceret alias formas, materia per illum appeteret etiam alias formas.

117. *Ex his probatur secunda pars conclusionis*, quia in tali casu non posset esse respectus materiæ ad formam vnus speciei, quin esset respectus ad omnes alias formas aliarum specierum: ergo non est necessitas plurificandi respectus illos formaliter.

Confirmatur. In tali casu eadem esset ratio multiplicandi respectus ad formas diuersæ speciei, ac ad formas eiusdem speciei: sed ad has non multiplicaretur: ergo nec ad illas.

Probat Mastris, tum quia in homine sufficit vna inclinatio ad multos actus ridendi, in gravi vna propensio ad multos descensus; tum quia in subiecto contrariorum receptiuo vna est potentia contrariorum: ergo vna erit potentia, & consequenter appetitus materiæ ad formas impossibiles, & per consequens ad omnes. Tum quia si essent diuersæ potentiæ ac appetitus ad diuersas formas, posset omnes simul recipi.

Quæ probatio posset etiam adduci pro prima parte. Sed certe non sufficit, quia qui negaret conclusionem quoad has partes, negaret eandem inclinationem formaliter & hominis ad varios actus ridendi, & grauis ad varios descensus; & similiter negaret vnam formaliter potentiâ ad formas contrarias, loquendo de potentia, quæ est respectus aptitudinalis, quo respiciuntur formæ; unde hac probatione obscurum per æque probatur. Deinde quauis essent diuersi formaliter appetitus & potetia in materia, tamen formæ diuersæ non posset esse in ipsa propter incompatibilitatem realem ipsarum, incompatibilitas enim formarum attendi debet penes subiectum quod immediatum, quæ est ipsa materia, non penes ordinem istius subiecti ad illas formas, quæ est ratio sine qua non esset subiectum earum.

118. *Probatur tertia pars conclusionis*, quia signum præcipuum distinctionis formalis, antecedentis operationem intellectus est quod possit dari à parte rei aliquid sub vna consideratione, quin daretur sub alia consideratione, & hinc quia potest dari res à parte sub consideratione sensitiui, nimirum brutum, sine eo quod habeat rationem discursiui, colligimus quod in homine ratio discursiui distinguitur formaliter à ratione sensitiui: sed in

casu tertiae partis posset dari à parte rei appetitus materiae ad vnam formam, quin haberet annexum ordinem seu appetitum ad aliam formam: ergo in materia de facto existente ac respiciente per appetitum omnes formas, appetitus, quo respicit vnam, distinguitur formaliter ab appetitu quo respicit aliam.

Confirmatur: si idem formaliter appetitus respiceret omnes formas, impossibile est quod reperiretur à parte rei secundum eandem rationem formalem quin respiceret omnes: sed in casu conclusionis reperiretur appetitus vnius formae, qui non esset appetitus alterius formae: ergo non eodem formaliter appetitu respiciuntur illae formae.

119 *Obiicitur*: sequeretur quod in materia de facto essent infiniti respectus, quia sunt infinitae formae distinctae speciei possibiles.

Respondeo primo, negando sequelam cum sua probatione, quia secundum Scotistas communiter datur status in speciebus, de quo suo loco.

Respondeo secundo, concedendo sequelam, & dico quod vel id non est inconueniens, vel si sit inconueniens, propter hoc ipsum inconueniens neganda est hypothesis huius partis conclusionis, nempe quod possint dari materiae diuersae speciei sic, vt vna sit determinata ad formas aliquas, & alia ad alias. Nec mihi occurrit melior ratio ad probandum quod non possint dari materiae distinctae cum hac diuersitate, (quidquid sit an habere possent aliam diuersitatem specificam, de quo postea) quam hoc ipsum, nempe quod inde sequeretur quod in qualibet materia darentur infiniti respectus actu formaliter distincti.

Dices: hoc non sequeretur in sententia Scotistarum, qui ponunt statum in formis. *Contra primo*, quia saltem sequeretur in aliorum sententia. *Contra secundo*, quia quamuis ex principiis Scotistarum sequeretur status in formis distinctae speciei habentibus inaequalitatem perfectionis, quia scilicet sequeretur quod daretur aliqua forma infinitae perfectionis, tamen non sequeretur status in formis diuersae speciei, quae non haberent inaequalitatem perfectionis. Diximus autem in Logica possibiles esse species distinctas aequalis perfectionis.

QVÆSTIO VIII.

De unitate materiae primae.

120. **E**xaminādū hic quomodo materia prima sit vna in omnibus rebus constantibus materia prima, an sit vna numero, vel vna specie, vel vna tam numero, quam specie. Tres autem sunt ordines rerum, in quibus considerari posset materia prima, primus ordo est corporum sublunarium omnium, scilicet quotquot continentur sub concavo Lunae, de quibus nemo dubitat, quin consent materia, praeter eos, qui ipsius materiae existentiam vertunt in dubium. Secundus ordo est corporum caelestium, caelorum scilicet ac stellarum tam fixarum, quam errantium, de quibus valde dubitari posset an consent vlla materia; sed dubium hoc ad libros de Caelo remittendum censui, & modo supponendum quod materia consent, ac ex ista hypothesi discutienda praesens quaestio. Tertius ordo est substantiarum spiritualium, Angelorum scilicet ac animarum rationalium: quas substantias, quamuis probabilius ac communius sit carere omni materia, ac esse physice indiuisibiles, tamen non defuerunt plures viri doctissimi, qui oppositum censuerunt: unde remittendo huius controuersiae examē ad tractatum de Angelis, hic examinabimus, an ex hypothesi quod constarent materia, illa materia, qua constāt, sit eiusdem vel diuersae rationis à materia sublunarium ac caelestium corporum: sententiarum diuersitas facile colligi poterit ex conclusionibus, quas propterea enumerare non placuit.

CONCLUSIO I.

Materia prima sublunaria est eiusdem speciei, sed diuersa numero.

121. *Materia prima sublunarium omnium est eiusdem speciei, sed diuersa numero pro diuersitate corporum, in quibus simul inexistit, ita vt materia ligni sit diuersa numero à materia ignis simul existentis cum eodem ligno; & dico simul*

existentis quia eadem numero materia, quae est iam in vno corpore, posset esse postea in alio corpore. Hæc conclusio est communissima cum *Scoto 4. d. 1. q. 3. Sum. dispnt. 15. sect. 3. Auer. 1. q. 20. sect. 2. Amico trakt. 5. q. 8.* qui reliquos authores citant.

Probatur prima pars de unitate specifica, quia nullum est indicium aut fundamentum asserendi diuersitatem specificam harum materialium, nisi quod inexistant corporibus distinctae speciei, eaque essentialiter & physice constituentur: sed hæc ratio nihil valet: ergo non est asserenda illa distinctio. Probatur minor, quia materia eadem numero, atque adeo eadem specie, quae fuit in corpore ligni; postea reperitur in corpore ignis ex eodem ligno generati, ac diuersae speciei ab illo: ergo inexistencia materiae in diuersis specie corporibus non arguit diuersitatem specificam eius.

Confirmatur, quia nullum est corpus sublunare, quod non possit corrumpi, & ex eo generari aliud corpus distinctae rationis: ergo non est vlla materia sublunaris ita determinata ad aliquam formam recipiendam, aut aliquod compositum constituendum, quin possit esse sub alia specie forma, & constituere aliud specie compositum: ergo nulla materia sublunaris distinguitur specie ab alia materia sublunari.

122. *Probatur secunda pars de unitate numerica*, quia si naturaliter eadem numero materia posset esse in diuersis locis, & sub diuersis formis non subordinatis, ac constitui simul diuersa specie composita, verbi gratia lignum & ignem, non esset necessarium, vt ad productionem ignis ex materia ligni corrumpetur forma ligni, & ipsum lignum, vt patet: sed non potest generari vna substantia ex alia, quin illa alia destruat: ergo non potest id fieri naturaliter, & consequenter tot sunt materiae numero distinctae, quot simul existunt corpora distincta numero.

Confirmatur, quia quidquid probat distinctionem numericam aliarum rerum eiusdem speciei, probat etiam distinctionem numericam materialium inexistantium in diuersis corporibus simul existentibus: ergo distinguuntur numero. Nec contra hoc est, quod materia omnes continuarentur, aut quod sint talis natura: vt si separarentur à formis, continuarentur inter se, ac consequenter, vel actu faciunt, vel facerent, separatis formis, vnam numero materiam totalem. Tum quia quamuis, si omnes partes aquae continuarentur, facerent vnam numero totalem aquam unitate integritatis; verumtamen est, quod vna pars aquae distinguatur numero ab alia parte, tum quia non loquimur in conclusione de unitate integritatis & continuationis, sed de unitate numerica metaphysica, qualem habet qualibet res singularis, quae destrui potest manente altera re, ad quam comparatur, aut conseruari, destructa illa altera re.

123. *Obiicitur primo*: secundum Philosophum in genito & corrupto, licet sit eadem numero materia, non tamen eadem specie: ergo multiplicatur specie materia, in sublunariis.

Respondeo explicando mentem Philosophi per distinctionem antecedentis: non est eadem specie unitate specifica intrinseca ipsius materiae, nego antecedens, quia implicat esse aliquid idem numero, & non esse idem specie; hoc modo non est eadem specie unitate specifica extrinseca ipsius compositi resultantis ex ipsa, concedo antecedens, & nego consequentiam. Sensus ergo Philosophi est, quod licet materia geniti & corrupti sit eadē numero, non tamen constituit eandem speciem in genito & corrupto, quia genitum esse semper diuersae speciei à corrupto, ex quo gignitur; neque enim ex indiuiduo vnius speciei generatur vnquam, naturaliter loquendo, aliud indiuiduum eiusdem speciei, saltem immediatē.

124. *Obiicitur secundo*, potentiae distinguuntur specie, quando actus distinguuntur specie: sed formae substantiales sublunares sunt actus materialium sublunarium, & distinguuntur specie, & materiae illae sunt potentiae respectu earum: ergo distinguuntur specie.

Respondeo distinguendo maiorem: ita vt vna species, ac nume

ac numero potentia non possit respicere actus diuersæ speciei, nego maiorem, alias eadem specie, ac numero voluntas non possit habere volutionem & nolitionem, nec idem intellectus assensum & dissensum, nec eadem quantitas albedinem ac nigredinem, calorem ac frigus; nec vniuersaliter darentur formæ contrariæ expellentes se inimicem ab eodem subiecto: ita vt sensus sit, quod quando sunt aliquæ potentia, quæ respiciunt aliquos actus determinatæ speciei; quos aliæ potentia respicere nequeant, sicut oculus respicit calores, quos auris nequit respicere, istæ potentia per ordinem ad istos actus distinguantur specie, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia nulla materia sublunaris respicit vllas formas, quas quæcunque alia materia sublunaris non possit æque bene respicere, vnde per ordinem ad illas formas nequeunt distingui specie.

CONCLUSIO II.

125. Materia corporum celestium, (si detur) non distinguitur specie à sublunari. Hæc est Doctores 2. dist. 14. quæst. 1. cum suis. D. Bonan. 2. dist. 12. quæst. 1. Molinæ in opere sex dierum, & aliorum multorum, quos citant ac sequuntur Conimbricen. 1. de calo c. 2. quæst. 6. art. 1. contra D. Thom. 1. par. quæst. 66. art. 1. cum suis, quos sequuntur Suar. disp. 13. met. sect. 11. Aueris quæst. 33. sect. 6. ac alij. Probat Mastrius, quia forma cæli non satiat totum appetitum materia, cum non contineat omnem perfectionem aliarum formarum sublunarium, non enim continet perfectionem animæ rationalis: ergo relinquit appetitum in materia ad formas sublunares, & consequenter est eiusdem rationis cum materia sublunarium.

Hæc probatio supponit, quod esset probandum, nimirum quod in materia cæli ex se sit appetitus ad formas sublunares, quod negant aduersarii. Itaque quantumuis non expleat forma cæli totam capacitatem materiæ celestis, ac propterea possit habere alias formas, tamen non sequitur quod possit habere alias formas sublunares, aut tales, quas potest recipere materia sublunaris.

126. Probari potest secundo, quia non potest ostendi quid peculiare possit competere materiæ primæ physicae vni, quod non competeret cuicunque alteri: cum enim qualibet materia physica prima sit potentia physica pura, & qualibet forma substantialis sit actus physicus correspondens potentiæ physicae, videtur quod qualibet materia possit coniungi cum qualibet forma physica, & consequenter, quod materia sublunaris possit ex se coniungi cum forma celesti, & materia celestis cum forma sublunari; atque adeo quod nullæ materiæ primæ possint inter se specie distingui.

Confirmatur, quia ex ratione materiæ primæ vt sic, habet materia prima sublunaris posse coniungi cum formis, cum quibus potest coniungi: sed materia celestis habet rationem materiæ primæ, vt sic: ergo potest coniungi cum iisdem formis.

Ad hanc probationem possit dici, quod vna materia, nempe sublunaris, determinaretur ex natura sua intrinseca ad certas formas, ita vt non possit coniungi ac facere vnum per se cū aliis formis, sicut corpus hominis determinatur ad animas rationales, & quod alia materia, nempe celestis determinaretur ex natura sua intrinseca ad alias formas, nimirum celestes, ita vt non possit vllam sublunarem recipere ac facere cum ipsa vnum per se; hoc autem supposito, sine dubio distinguerentur specie.

Ad confirmationem etiam responderi possit negando maiorem, & dicendo, quod ex ratione materiæ primæ, vt sic, habet posse recipere aliquam formam; ex ratione vero materiæ primæ talis habet recipere tales ac tales formas; vnde cum materia celestis non habeat rationem talis materiæ, neque sublunaris in sententia aduersariorum, non debet posse recipere formas receptibiles à materia sublunari; & cum hæc non habeat rationem particularem materiæ celestis, non debet posse recipere formas celestes.

127. Nihilominus, quamuis propter hanc responsionem difficulter possit ostendi repugnantia in diuersitate specifica materiarum celestium & sublunariū, nisi ostendatur de facto, quod materia sublunaris determinet sibi solas formas sublunares, & materia celestis determinet sibi solas formas celestes, non debet asseri; patebit autem ex dicendis, quod id ostendi non possit.

Deinde quandoquidem materia prima sublunaris possit coniungi, & facere vnum per se cum anima rationali, quæ est perfectior forma quacunque celesti, & cum formis imperfectioribus, quam sint formæ celestes, videtur etiam coniungi posse ex se cum forma celesti, atque adeo non determinare sibi formas sublunares tantummodo; & quandoquidem materia sublunaris, quæ non asseritur ab aduersariis perfectior materia celesti, possit facere vnum per se cum anima rationali, videtur etiam, quod materia celestis possit facere vnum per se cum illa: & sane alias ex hoc capite possit colligi, quod materia sublunaris esset perfectior, quam materia celestis, contra aduersarios, nam materia ex natura sua susceptiua formæ perfectioris est perfectior, vt patet.

128. Præterea, non potest assignari aliquid particulare in forma celesti, ratione cuius determinaret sibi aliquam materiam particularem sic, vt non sufficeret ipsi quæcunque materia prima corporea: ergo materia prima sublunaris possit ipsam sustentare, ac facere cum ipsa vnum per se non minus, quam celestis.

Confirmatur particulariter contra Suarium, quia secundum ipsum repugnat multiplicatio specifica in materiis sublunariis; ergo etiam in quibuscunque materiis. Probatur consequentia, quia quemadmodum dici potest quod materia celestis determinat sibi formas solas celestes, ac sublunaris materia formas sublunares, ita sane potest dici, quod materia aliqua sublunaris possibilis determinet sibi formas aliquas sublunares, atque adeo esset diuersæ speciei ab alia materia sublunari possibili, quæ similiter possit sibi determinare alias formas sublunares: ergo si hoc dici nequit, neque illud etiam dici poterit. Nec refert quod formæ omnes sublunares conueniāt in ratione formæ amissibilis, aut corruptibilis; inde enim non sequitur, quod quæcunque materia correspondens vni debeat esse correspondens alteri: nam sicut non obstante, quod formæ omnes tam sublunares, quam celestes conueniunt in ratione formæ physicae, vt sic, hoc non obstante secundum ipsum possunt dari plures materiæ, quarum vna determinat sibi celestes propter rationem particularem suam, & istiusmodi formarum, ac alia sublunares: ita non obstante conuenientia formarum sublunarium omnium in ratione formæ amissibilis, aut corruptibilis, aut quacunque alia, possent tamen dari plures materiæ sublunares, quarum vna ex natura sua intrinseca determinaretur ad aliquas formas, & alia ad alias propter diuersitatem illarum formarum secundum rationes particulares; quod si hoc nequit fieri, nec illud fieri poterit. Vnde consequenter multo tenet Aduersa possibilitatem materiarum sublunarium diuersæ speciei ex suppositione quod materia celestis & sublunaris sint, aut possint esse diuersæ speciei.

129. Hinc probatur tertio conclusio, quia si materia celestis esset distinctæ speciei à sublunariis, maxime quia determinaret sibi formas celestes, nec possit coniungi cum formis sublunariis: sed hoc dici nequit: ergo non distinguitur. Probatur minor, quia si possit dari aliqua materia determinata ad aliquas formas, sequeretur, quod tot essent materiæ distinctæ speciei possibiles, quot sunt formæ: quia quemadmodum materia Solis est determinata ad formam Solis, ita possit dari materia alia, quæ esset determinata ad formam lapidis, & alia ad formam ignis, & ita de cæteris formis: sed hoc est inconueniens, quia, vt dixi in fine quæstionis præcedentis, inde sequeretur, quod de facto daretur infiniti respectus aptitudinales, & infinitæ formalitates radicales ipsis correspondentes in materia prima de facto existente: sed hoc videtur inconueniens: ergo.

Probatur quarto, quia non dantur plures causæ efficien-

tes

Materia
celestis
non di-
stingui-
tur specie
à sublunari.

tes primæ, nec plures causæ finales ultimæ: ergo nec plures materiæ primæ diuersæ rationis.

Dices: si ex unitate causæ primæ, & finis ultimi colligi deberet unitas materiæ primæ, quandoquidē non datur nisi vna numero causa prima, non deberet dari nisi vna numero materia prima, consequens est absurdum ex dictis conclusione præcedenti: ergo & antecedens, & consequenter non valet consequentia probationis.

130. *Contra*, quia licet non debeat esse omnimoda proportio inter materiam primam & causam primam, quantum ad unitatem, tamen tanta debet poni proportio in hoc, quanta potest: sed potest poni proportio quantum ad unitatem specificam, licet non possit poni quantum ad numericam: ergo debet poni: & hoc est intentum argumenti, quod propterea hoc modo facilius proponi potest: Tanta unitas ponitur in causa prima & in fine ultimo, quanta potest poni: ergo tanta debet poni in materia primæ, sed potest poni in materia unitas specifica licet non possit poni numerica: ergo debet poni in illa unitas specifica, licet non possit poni numerica.

Dices secundo: licet ponatur vna causa efficiens prima, non debet poni vna formalis prima: sed dantur plures specie distinctæ: ergo similiter debent poni plures materiæ.

Respondeo, negando consequentiam, & disparitas est, quod ad varietatem illam specificam corporum, quæ certum est dari in vniuerso, necessaria sit varietas specifica formarum, non autem materialium.

Probari potest quinto conclusio argumento Theologico desumpto ex autoritate S. Augusti. lib. 1. de Genesi contra Manichæos cap. 7. & lib. 12. Confess. cap. 20. & aliorum Patrum communis, qui asserunt cælum & terram facta esse ex eadem materia, & loquuntur sine dubio de eadē specie materia, non de eadem genere.

131. *Probaturs conclusio* ultimo, & principaliter, quia nō est vlla ratio, vnde colligatur distinctio specifica materialium cælestis ac sublunaris: ergo gratis assereretur ipsarum distinctio, & contra vulgare principium, quod nō sine multiplicanda entia sine necessitate: consequentiam omnes admittunt. Probaturs antecedens soluendo rationes, quas adferunt aduersarij. *Prima ergo ratio est*, quod cælum sit ab intrinseco incorruptibile, vt hic supponi debet; sed non esset sic incorruptibile, si constaret eadē specie materia cum sublunaribus: ergo Probaturs minor, quia materia sublunarium est radix corruptionis eorum ob appetitum suum ad diuersas formas: ergo si similis datur in cælestibus corporibus, debent esse corruptibilia ab intrinseco non minus, quam sublunaria.

Confirmant primo, quia ex incorruptibilitate intrinseca cæli debet materia ipsius esse determinata ad vnam formam, & consequenter distinctæ speciei à materia sublunari, quæ non est sic determinata.

Confirmant secundo, quia ideo sublunaria sunt corruptibilia, quia includunt materiam primam non determinatam ad certam formam, sed appetentem varias formas: ergo si cælum includit talem materiam, non erit incorruptibile ab intrinseco.

132. *Contra hoc fundamentum*, in primis facit, quod vel loquantur de incorruptibilitate simpliciter in ordine ad quodcumque agens, etiam Deum, vel de incorruptibilitate in ordine ad causas secundas ac ad Deum, vt est auctor naturæ, ac agens secundum potentiam ordinariam. Si de prima incorruptibilitate loquuntur, maior est manifeste falsa, nam certum est Deum posse dissoluere partes physicas, quibus supponimus constare cælum auferendo ipsarum vnionem, & consequenter extra dubium est, eum posse corrumpere cælum, & aliud cælum ex materia ipsius generare, vniendo cum materia ipsius aliam formam, saltem eiusdem rationis cum forma corrupta; nihil autem aliud, quam hoc requiritur ad propriè dictam corruptionem cæli.

Quod si loquantur de secunda incorruptibilitate in ordine ad causas secundas & Deum, vt agit secundum potentiam ordinariā, minor est falsa, nam bene posset esse sic incorruptibile, quamuis constaret materia eiusdem

speciei cum sublunaribus. Nam si Deus produxisset aliam quam substantiā corpoream sublunarem talis rationis, vt exigeret eonaturaliter pro qualitatibus conseruatiuis aliquas, quibus non darentur aliæ qualitates contrariæ producibiles ab vlla causa secunda, nec à Deo saltem vt agit secundum potentiam ordinariam; illud corpus non posset destrui, aut corrumpi ab vlla causa secunda, nec à Deo, vt sic agente, quia nulla causa secunda de facto, nec Deus vt agit ordinarie, destruit aliquam substantiā, nisi expellendo qualitates conseruatiuas eius per qualitates ipsius contrarias: ergo non posset causa secunda destruere tale corpus, & consequenter esset incorruptibile ab intrinseco in ordine ad causas secundas ac ad Deū, vt agit de potentia ordinaria, non obstante, quod constaret materia sublunari. Quod autem Deus posset huiusmodi substantiam aliquam producere, negari non potest, cum in hoc nulla sit proflus implicancia.

133. *Confirmatur hoc*, quia non obstante, quod sublunaria contentent materia eiusdem rationis, sunt tamen aliqua ex illis facilius, aliqua difficilior corruptibilia per causas secundas, & illa diuersitas provenit ex natura particulari eorum desumpta à forma particulari, quam habent, tanquam à radice; ergo non obstante, quod constarent simili materia, nihil impedit quo minus posset aliquod ex illis esse talis naturæ, vt nullo modo posset destrui per causas secundas, propter naturam suam particularem desumptam à sua forma particulari.

Confirmatur secundo: ex natura particulari substantiæ cæli oritur, quod quantitas eius, licet sit eiusdem rationis cum quantitate sublunariū, non sit capax recipiendi à causis secundis calorem, vt aduersarij supponunt, quauis possit recipere calorem, dum existit in sublunaribus: ergo ex natura particulari cæli posset accidere, vt materia eius non esset capax vllius formæ producibilis à causis secundis, & cōsequenter, vt cælū esset incorruptibile ab intrinseco in ordine ad causas secundas, quamuis materia eius esset eiusdem rationis cum materia sublunarium.

Deinde, licet cælum sit de facto incorruptibile per vllas causas secundas de facto existentes, non est adeo certum, quin possit Deus producere aliquam causam secundam, quæ ipsum posset destruere; vnde posset negari maior, loquendo etiam de secunda incorruptibilitate. Nec refert, quod cælum dicatur simpliciter incorruptibile: hoc enim simpliciter posset intelligi quantum ad causas secundas de facto productas, aut producendas.

134. *Ex his respondeo* in forma ad prædictum fundamentum, distinguendo maiorem: cælum est incorruptibile in ordine ad potentiam absolutam, aut in ordine ad causas omnes secundas, comprehendendo possibiles non futuras, nego maiorem; in ordine ad causas secundas existentes, aut futuras, concedo maiorem, & nego minorem cum consequentia suæ probationis.

Ad primam confirmationem distinguo antecedens: ex natura ipsius materiæ, quasi illa ex se non posset coniungi cum aliis formis, nego antecedens; ex natura formæ cælestis, seu ex defectu virtutis in causis secundis, quæ possit expelli forma cælestis à materia cæli, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Ad secundam confirmationem, distinguo antecedens: non determinatam, neque ex se, neque ex natura formæ, aut defectu virtutis expulsiuæ in causis secundis, concedo antecedens; non determinatam ex se præcise, nego antecedens & consequentiam. Alia aduersariorum fundamenta consistunt in sequentibus obiectionibus.

135. *Obiicies primo* Philosophum qui lib. 1. de generat. rex. 43. 53. 54. & 87. dicit, ea, quæ habent communem materiam inter se inuicem agere, & pari posse; sed cælestia & sublunaria non possunt inter se inuicem agere & pari, cæli enim non pariuntur à sublunaribus, sed agunt in illa, ergo non habent communem materiam.

Deinde 12. met. expresse asserit materiam cæli esse diuersæ rationis à sublunari: & hoc idem voluit, quando dixit, quod corruptibile, & incorruptibile distinguantur genere; intellexit enim per genus, genus physicum quod est materia.

Respon-

Prima ratio aduersariorum.

Cælum posset esse incorruptibile, non obstante materia.

Respondeo omitendo diligentius examen locorum citatorum, quæ bene considerata in ipso Philosopho inueniuntur meo iudicio non esse ad propositum: sed relinquo hoc, inquam, respondeo quod Philosophus solum vult materiam cælestem esse diuersæ rationis, hoc est status ac conditionis non ex natura sua intrinseca, sed ex conditione formæ, quod non facit ad rem. Quam responsionem dedit *Gianinus*, & non sufficienter impugnat *Auersa* dicendo quod si materia cælestis esset diuersæ rationis & status ex conditione formæ, tum vna materia sublunaris posset dici esse diuersæ rationis à materia sublunari, quia diuersam habet formam. *Respondeo* enim mentem Philosophi, & intentum responsionis prædictæ esse, non quod materia cælestis sit diuersæ rationis quomodocumque; sed quantum ad non patiendum ab illis, in quæ agit, quam diuersitatem habet à forma cælesti, & nulla materia sublunaris habet similem conditionem, licet vna materia sublunaris habeat ex forma aliquam differentiam in patiendi ab alia materia, quia difficilius mutari potest motu generationis vna materia sublunaris, quam alia materia. Adde hic non tam defendere nos conclusionem ex autoritate, quam ex ratione.

136. *Obijcies secundo*. Posset dari in cælis materia diuersæ rationis à sublunari, & determinata ad vnam formam in specie, & si daretur, incorruptibilitas cæli ab intrinseco sic facilius saluaretur, & daretur ratio cur non posset à causa secunda corrumpi: ergo ita dicendum est.

Respondeo primo, quod facilius ostenderetur incorruptibilitas cæli etiam in ordine ad diuinam potentiam, dicendo cælum esse corpus simplex, & tamen id non debet asseri, nisi sit aliqua ratio id concludens: ergo similiter in proposito discurrendum, & negari potest consequentia.

Respondeo secundo negando antecedens, pro secunda parte, quia non facilius assignatur ratio, cur non possit corrumpi cælum à causa secunda dicendo, quod materia ipsius sit determinata ad vnam formam, quam dicendo, quod qualitates conseruatiuæ eius non habeant qualitates contrarias, & consequenter quod expelli nequeant à causis secundis; quia hæc non sunt natæ expellere qualitates, nisi per introductionem qualitatum contrariarum.

137. *Obijcies tertio*. Nisi materia cælestis esset determinata ad certam formam, vnum corpus cæleste posset producere corpus sibi simile ex materia alterius cæli; & nisi forma cælestis esset determinata ad materiam talem, posset produci forma cælestis in materia sublunari: ergo materia cælestis est determinata ad formam vnam tantum, & forma cælestis ad materiam cælestem, ac consequenter hæc erit diuersæ rationis à sublunari.

Respondeo negando antecedens pro vtraque parte, quia non est necesse vt cælestia corpora habeant virtutem productionis sui similitudinis.

Obijcies quarto. Frustra esset potentia & appetitus in materia cæli ad alias formas, quandoquidem nunquam posset naturaliter coniungi cum aliis formis: ergo non est in ea talis appetitus, & consequenter est determinata ad formam illam, quam habet, atque adeo est diuersæ speciei à materia sublunari.

Confirmatur, quia Deus posset in cælis producere materiam distinctam à materia sublunari, quæ scilicet esset determinata ad formas cæli, & non posset poni sub formis sublunaribus: ergo quandoquidem de facto nunquam sit ponenda materia cæli sub forma sublunari, probabilius est quod produxerit de facto in illis talem materiam, quam materiam indifferentem ad formas etiam sublunares. Propter hanc confirmationem dicit *Arriaga disp. 2. mem. 168*. forte probabilius esse quod materia cæli sit diuersæ speciei, quamuis idem author *num. 167*. absolute dicat id non posse certo definiri.

138. *Respondeo* negando antecedens, ad cuius probationem dico, quod imprimis posset reduci ad actum naturalissimum, quantum est ex parte materiæ, & simpliciter quantum ad potentiam absolutam, non solum per Deum, sed forte etiam per aliquam causam secundam possibilem.

Deinde non est frustranea potentia in aliqua specie, licet in aliquo indiuiduo non posset reduci ad actum, modo in aliis indiuiduis posset sic reduci: sic non est frustranea potentia ascendendi ad cælum Luna in igne nostro vulgari, qui tamen naturaliter nunquam eo potest transire, quia alius ignis ibi reperitur vt communiter supponitur, & bonum esset nostro igni esse ibi: sic etiam non esset frustranea potentia & appetitus in materia lapidis ad formam auri, licet non posset naturaliter acquirere formam auri, quia sufficit quod alia similis materia posset eam acquirere; & quod ipsa per illam perficeretur, si coniungeretur cum ipsa: sic etiam demum non frustra est potentia, & appetitus in materia ad formam corruptam, licet nullum agens naturale posset restituere formam illam corruptam. Et si quæretur ad quid deferuiat ille appetitus? *Respondeo* ad hoc, quod materia cæli perfici possit aliis formis, si coniungeretur cum illa.

Ad confirmationem respondeo negando consequentiam propter fundamentum nostræ conclusionis, & præsertim, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate: hic autem nulla est necessitas ponendi materiam distinctam in cælis.

CONCLUSIO III.

139. *Si Angeli essent physice compositi ex materia & forma, & adhuc essent spirituales substantia, quales modo sunt, nimirum indiuisibiles integraliter, & incapaces quantitatis, materia ipsorum esset diuersæ speciei à materia sublunari ac cælesti*. Hæc est communis, & patet manifeste; quia materia qua constat Angelus, debet esse indiuisibilis entitativæ; alias ipsemet Angelus non esset indiuisibilis: ergo est distinctæ speciei à materia sublunari ac cælesti, quæ est diuisibilis entitativæ ex natura sua intrinseca: quod enim ex natura sua intrinseca includit partes entitativas, distinguitur sine dubio specie ab eo quod non includit tales partes. Hæc probatio mihi conuincit conclusionem ex suppositione sententiæ communioris & Scoti, quæ tenet distinctionem partium entitativarum substantiæ non provenire formaliter à quantitate, sed omnem substantiam capacem quantitatis habere suas partes entitativas ex se. In opposita vero sententia non sufficeret, quia responderi posset materiam ex se non esse diuisibilem formaliter in partes entitativas, sed habere illam diuisibilitatem, & extensionem à quantitate; vnde quia in Angelis non habet quantitatem, & in corporibus habet quantitatem, propterea in his est diuisibilis, in illis non est: nec hæc responsio impugnari melius potest, quam per principia, quibus probatum est in Logica, substantias non habere à quantitate suas partes entitativas, sed à seipsis.

140. *Probari potest secundo conclusio*, quia materia Angeli est spiritualis, & materia corporum est corporea, ergo distinguuntur specie necessario.

Dices materiam Angeli secundum se non esse spiritualement, nec corpoream, sed materiam secundum se abstrahere ab vtraque illa ratione, & reddi spiritualement per formam Angeli, ac corpoream per formam corporis.

Contra, quia si poneretur à parte rei absque vlla forma, deberet esse vel spiritualis, vel corporea: videtur enim quod ens vt sic adæquate diuidatur in spirituale & corporeum, sic vt nullum ens reale detur à parte rei, quod non sit vel spirituale vel corporeum: ergo materia realiter existens secundum se non potest abstrahere à spiritualitate, & corporeitate.

Confirmatur, quia materia secundum se existens absque vlla forma, vel debet habere partes integrales, vel debet carere talibus partibus; si careat talibus partibus (quandoquidem non sit indiuisibile continuatum aut terminatum aliarum partium, vt sunt indiuisibilia, quæ dicuntur esse in continuo) est spiritualis, quia in hoc videtur consistere ratio substantiæ spiritualis. Si habeat partes entitativas, ergo est substantia corporea, quia in hoc videtur consistere ratio substantiæ corporeæ: ergo non abstrahit ab alterutra ex illis rationibus. Verum quia hæc probatio dependet à conceptu substantiæ spiritualis, &

Materia
angeli est
spiritualis
et distin-
ctæ ratio-
nis à ma-
teria su-
blunari.

corporeæ, qui non est tā obuius & facilis, ac videri posset, nolo in ea examinanda ulterius hærere, & sistendum suadeo in prima probatione, quæ magis est realis, & minus intricata, minusq; dependens à quæstione de nomine.

141. Fundamentum oppositæ sententiæ esse potest quod vel repugnet materiæ primæ diuersæ rationis, vel saltem de facto non dentur: ergo materia spiritualium non est diuersæ rationis à materia corporalium.

Respondeo primo: si verum sit antecedens, inde sequi vel quod repugnet etiam materia in spiritualibus, vel eam de facto in illis non dari, & consequenter si supponatur esse in illis, sequetur eam esse, & non esse eiusdem rationis cum materia corporum.

Respondeo secundo, negando antecedens pro vtraque parte, si detur materia in spiritualibus, vt supponitur ab aduersariis; absolute autem concedo antecedens, & distinguo consequens: non est distinctæ rationis ex vno capite, concedo; ex alio nego consequentiam. Itaq; vt dixi, ex hypothesi antecedentis esset, & non esset distinctæ rationis. Ceteræ difficultates, quæ moueri solent de materia prima, vt an sit de essentia corporum; an sit subiectum inhærensionis quantitatis ac qualitatum; an vllæ, & quænam formæ ex ipsius potentia educuntur; duabus sequentibus disputationibus tractabuntur.

Quæres: An materia sit actiua.

142. Pro complemento huius disputationis hoc dubiū videbatur proponendum. Ad quod breuiter *respondeo*, quod sine controversia habeat actiuitatem sufficientem ad hoc, vt suæ propriæ passiones emanent ac fluant ab ipsa, siue sint realiter distinctæ ab ipsa, vt tenere solent Thomistæ, siue realiter ipsi identificatæ, vt asserunt Scotistæ, cuius ratio est illa ipsa, qua probari potest de villa re quod habeat talem actiuitatem. Et hinc sequitur quod quantitas, si sit proprietas physica materiæ in ipsa subiectata, & ab ea inseparabilis, producat effectiue à materia non secus ac calor producit ab igne.

Deinde certum est quod habeat virtutem sufficientem vt pullulent ab ipsa relationes accidentales intrinsecus aduenientes, similitudinis verbi gratia ac dissimilitudinis, & aliæ tales: est enim materia vna similis alteri materiæ, & dissimilis formæ, & hoc tam necessario, modo existat alia materia, & alia forma, vt nec de potentia absoluta possit impediri, quin sit sic dissimilis ac similis, & consequenter quin emanent illæ relationes, si tamen ab vllis rebus emanant tales, de quo in Logica.

Rursus, gratissime negatur quin possit mouere intentionaliter intellectum non alligatum sensibus ad cognitionem intuitiuam sui tam bene, quàm forma aut accidens vllum, & hoc vel concurrente immediate cum intellectu in genere causæ efficientis, vel producendo speciem intelligibilem impressam in ipso, quæ immediate ipsum determinet. Ex quo sequitur quod materia non sit omnino ita passiva, vt non sit vllō modo actiua.

143. Denique, mihi videtur quod concurrat etiam actiue cum forma physica ad operationes physicas competentes per se ipsi toti; neque enim ipsa forma substantialis videtur mihi tota ratio agendi etiam actione physica, quidquid dicant communiter authores. Ratio autem mea est, quod forma sola non sufficiat absque materia, quemadmodum nec materia sola absque forma; & quod non videam vllam rationem, cur materia non haberet aliquam actiuitatem particularem circa tales actiones, quemadmodum forma habet, licet hæc haberet perfectiorem actiuitatem.

Confirmatur, quia ipsum compositum est quod agit: sed secundum aduersarios omnes, præter Scotistas, compositum non distinguitur à materia & forma vnitis: ergo materia etiam agit partialiter tali actione: & quamuis secundum Scotistas totum distinguatur à partibus vnitis tamen per se primo æquè includit vtramque partem: ergo sicut dicitur forma inclusa in ipso concurrere, materia etiam, quæ non minus includitur, debet dici per se concurrere.

144. *Obiicies* axioma vulgare, quod formæ sit agere, & materiæ pati. *Respondeo* optimum sensum huius posse

esse quod passiones omnes, quæ competunt toti, ac tendunt in eius destructionem, competant ipsi, non ratione formæ, quæ non inclinatur ad destructionem sui, & consequenter auertitur ab illis mutationibus corruptiuis; sed competant ipsi ratione materiæ: quantum ad hoc, quod materia etiam inclinatur ad illas, sicut inclinatur ad formas, ad quarum introductionem tendunt: Actiones autem, quæ competunt toti in ordine tum ad conseruationem sui tum ad generationem aliarum rerum, competant ipsi ratione formæ, quantum ad hoc, quod determinatio earum sit refundenda in formam: quamuis enim materia ad illas concurrat; tamen quia materia est ex se indifferens ad illas ac quascunque alias, si petatur ratio quare sint tales actiones potius quam aliæ, recurrendum est ad naturam particularem formæ. Itaque sicut licet intellectus concurrat actiue ad intellectiones quascunque, ratio tamen, cur hanc intellectionem potius quam illam habet, oritur ex specie vel obiecto: ita licet materia concurrat actiue ad illas operationes, ratio tamen cur has præ illis habet, est quod habeat talem formam: & in hoc sensu dicitur formæ esse agere; hoc est formæ esse determinare ad actiones quascunque in particulari, & hinc etiam desumi potest optima ratio cur forma compleat materiam ac perficiat ipsam. Vnde etiam posset dici quod forma sit tota ratio agendi, id est tota ratio agendi hac determinata actione. Hinc quoque operationes arguunt formam: cum enim materia secundum se sit indifferens ad quascunque operationes tales, debet determinari ad has præ illis per formam, & consequenter ex eo quod videntur tales operationes particulares, optime colligitur adesse formam aliquam particularem, à qua originem ducunt.

145. Nec refert, quod materia sit pura potentia passiva: hoc enim dicitur, quatenus non includit, tanquam partem sui, aliquam formam physicam. Nec refert etiam quod Philosophus dicat *secundo Physicorum* materiæ, & efficientem non coincidere: hoc enim non potest sic intelligi, quasi idem realiter non possit esse efficiens respectu alicuius formæ, & materialis causa eiusdem, alias intellectus non posset producere intellectionem in se, nec graue mouere se deorsum, nec leue sursum, nec vniuersaliter idem mouere seipsum, quod postea ostendimus esse falsum. Sed si pro vero accipi debet, intelligendum est sic quod materia prima, & efficiens totale non possint coincidere: quod vltro concedendum, sed non præiudicat nostræ resolutioni, neque enim asserimus materiam causam esse effectiuam totalem vllius operationis physicae.

146. *Obiicies secundo ex Arriaga disp. 2. sect. 9.* quia effectiuitas materiæ non est necessaria ad illas operationes, forma enim caloris est sufficienter productiua alterius caloris absque concursu effectiuo materiæ, & idem est de formis substantialibus: ergo materia non est actiua in ordine ad formas aut actiones transeuntes.

Respondeo negando antecedens, & probationem pro secunda parte: quamuis enim calor sit productiuis alterius caloris absque concursu materiæ, vt patet tum experientia in accidentibus Eucharisticis; tum ratione, quia non facit ens per se cum suo subiecto aut materia, & propterea potest habere virtutem completam respectu formarum sibi similium; tamen forma substantialis non habet talem virtutem, & alias non video quomodo compleri posset per se à materia, aut quomodo cum materia possit facere vnum per se substantiale habeatque rationem actus per se respectu materiæ, & materiæ rationem potentia per se respectu formæ.

Obiicies tertio, ex eodem: Materia non continet formas substantiales: ergo non potest ad eas concurrere. *Respondeo*, in antecedenti peti principium manifeste; idem enim est continere formas illas, ac eas posse producere, vnde idem per idem probatur. Sed in forma, nego antecedens.

DISPUTATIO

Materia
habet
actiuita-
tem ad
suum pro-
prie-
tatum
emanatio-
nem.

Item ad
producen-
das spe-
cies.

Item ad
operatio-
nes phy-
cas.

Quomo-
do ma-
teria & ef-
ficiens non
coincidit.